SUMMA AUGUSTINIANA EX COLLECTIS, ORDINATIS, DISPUTATIS, ...



SUMMA
AUGUSTINIANA

Ex collectis, ordinatis, disputatis, explicatisque Sententiis Theologicis

DIVI AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI.

P. LAURENTIO ALTICOTIO CORTONENSI
Societatis JESU Presbytero Interprete.

PARS SECUNDA
De Doctrinâ Morum.

AD HANNIBALEM
CARDINALEM ALBANUM.



ROMÆ Typis Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani. 1745.
SUPERIORUM PERMISSU.

HANNIBALI
CARDINALI
A L B A N O

LAURENTIUS ALTICOTIUS
S. D.



I fortè mireris, HANNIBAL CARDINALIS ALBANE, *unde nam ego, homo tibi prius ignotus, hoc meum opusculum, nomini inscriptum tuo, ex litteraria mea officina deprompserim; mirari*

profectò desines, si ad eas rationes, quæ ad hanc deliberationem me impulerunt, animum, cogitationesque tuas paulisper adjunxeris. Generis avita nobilitas, privata & publica munera, sacra purpura, infulæ, prudentia, pietas, sapientia, religio, quibus bonis, sive ex fonte naturæ haustis, sive divinitùs acceptis, sive labore & industria tua tibi comparatis, beatior circumfluis atque redundas, pace tuâ dixerim, non stimulis me incitarunt, quamvis gloriæ tuæ maximè cupidum atque studiosum, quibus ego agitatus has meas elucubrationes tibi dicarem. Unum est, quod præ ceteris tuis ornamentis ad hoc arripiendum consilium faces mihi quodammodo admovit, in quo sanè excellis & emines, quod non habes commune cum multis, sed tibi est peculiare cum paucis. Eximius, scilicet, amor, cultus egregius, tutela vigilantissima Sanæ Doctrinæ. Hanc quodammodo hereditariam a Sanctissimo Patruo tuo CLEMENTE XI. *Pontifice Optimo Maximo accepisti, acceptamque ingenio, scientiâ, facundiâ, animi fortitudine, atque constantiâ adversùs cùm occultas, tùm apertas infanorum hominum molitiones, integram incorruptamque servasti.*

Neque

Neque verò sanam doctrinam, cujus te custodem præstas diligentissimum, forti, alacrique animo sustentas tantùm atque tueris; sed, quod laus tua est, quidquid insanam Novatorum hominum doctrinam sapit, quidquid vel leviter illam attingit, quidquid ad eam propius accedit (quandoquidem res est hac nostra ætate maximè lubrica, ancipiti aleæ, discriminique subjecta) summo, ut decet, odio aversaris. Quamobrem cetera naturæ, artis, fortunæ ornamenta concedens multis, quod est animi tui proprium, sanæ doctrinæ patrocinium; quoniam in ea excolenda atque amplificanda ætatem consumpsisti tuam, si tibi illud assumis, videris id tuo jure quodammodo vindicare. Hinc te sanæ doctrinæ vindicem & assertorem prædicant Italia, Gallia, Hispania, Germania. Te in afflictis sanæ doctrinæ rebus adeunt atque circumstant; qua voce, qua litteris, Sacri Christianæ Reipublicæ Antistites. Te sanæ doctrinæ cultores omnes suspiciunt & venerantur. Te sanæ doctrinæ corruptores, te palpatores doctrinæ insanæ, quæ maxima laus tua est, omnes prorsus oderunt. Intelligunt enim te partes omnes, omnesque numeros sanæ doctrinæ adeptum, quos Paulus Apostolus Tito alumno,

& au-

& auditori suo his verbis commemorat, atque recenset: In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate: Verbum Sanum, Irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *His ego rationibus incitatus, cùm adversùs insanos sanæ doctrinæ hostes non meis, sed Augustini armis instructus irrumpere constituerim, non melioribus auspiciis, quàm tuis, me feliciter dimicaturum sum arbitratus. Sed, ut ad propositum mihi operis argumentum propius accedam; quandoquidem præcipua sanæ doctrinæ pars ea est, quæ ad mores pertinet, quid* de Doctrina Morum, *sic enim Liber inscribitur, ex Augustinianis sententiis erutâ, quid de ipsis morum Magistris sentiam, paucis docebo.*

Quatuor esse hominum genera censeo, quibus, quadripartitâ distributione, morum Magistri continentur. Sunt autem hujusmodi, Probi, Humani, Inhumani, Improbi. Sunt qui sanctè sæviunt in se; aliis autem (incolumi tamen justitiâ) parcunt: hos ego probos esse definio. Sunt qui sibi, aliisque parcunt: hos ego humanos esse decerno. Sunt qui in se, atque in alios sæviunt: hos ego inhumanos

nos esse pronuntio. Sunt qui sibi parcunt, in alios autem sæviunt: hos ego improbos esse declaro Magistros morum. Nunc autem inhumanis, humanisque morum Magistris abire jussis, cum probis, improbisque Magistris morum, te mecum paulisper immorari, quæso, non pigeat. Improbos morum Magistros eos homines esse affirmo, qui immanissimas leges, severissimaque præcepta suis auditoribus imperant, ipsi autem suavissimam vitam, omnibus deliciis ac voluptatibus affluentem, traducunt. Hujus improbissimæ sectæ auctores, ac duces fuisse Pharisæi perhibentur, qui immanissimam quamdam legis doctrinam prædicabant, sibi quidem suaves ac blandi, suis autem auditoribus prorsus immites, atque inclementes. Improba hæc ratio agendi a Pharisæis usitata, adeò Christo Domino fuit invisa, ut, cùm se mitissimum exhibuerit erga cujuscumque generis flagitiosos homines, non refractarios, sed obsequentes, cum Pharisæis tantùm severissimum sese implacabilemque præstiterit. Hinc frequentissimæ illæ, atque acerbissimæ objurgationes, quibus præter consuetudinem suam, simulatam Pharisæorum austeritatem insectabatur: Væ vobis Pharisæi, Sepulcra dealbata. Genimina viperarum. Vos

Vos ex patre diabolo estis. Clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare. *At undenam tanta Christi Domini comitas atque suavitas in latrones, fœdifragos, proditores, meretrices, adulteras: & è contrario tanta ejusdem severitas, atque acerbitas in rigidioris doctrinæ, ac disciplinæ Magistros Pharisæos? Ipsemet Christus Dominus caussam discriminis affert, hæc de Pharisæis affirmans*: Dicunt, & non faciunt. Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. (*Matth. cap.* 23.) *Graves, & onerosi sunt aliis: se autem ab omni onere relevant. Severiora, ac difficiliora docent, & prædicant: ipsi vero mitiora persequuntur, ac faciliora. Facile autem est severiora præcepta tradere; sed non æque pronum est ea exequi. Satis proclive est ostentare severitatem; sed severitatem ipsam sectari, hoc opus, hic labor est. Hoc Pharisaico ingenio ætatis nostræ Novatores instructos esse comperimus. Rigidissima quæque docent: ipsi autem consectantur mollia. Sibi delicatissimè indulgent: auditores suos acerbissimè habent. Doctrinâ sibi lenissimâ: sectatoribus suis asperrimâ,*

mâ. In alios sævi atque feroces: in se blandi atque suaves. Quid plura? Sibi solis benè esse volunt: aliis autem malè. Hos ego omnium hominum improbissimos, communem Religionis nostræ perniciem, Christianæ pietatis pestem, immanissimos animarum tortores, diris omnibus execrandos esse pronuntio. Quâ enim fronte, quo vultu, quâ impudentiâ, immanem morum severitatem prædicant, qui voluptatibus omnibus undique diffluunt, Qui simulant Curios, & Bacchanalia vivunt? Facinus non minus impudens mihi videtur, quàm si meretrix impudicissima in Sacrarum Virginum cœtum irrumperet, severissimas pudicitiæ leges puellis castissimis constitueret, ipsamque se colendæ virginitatis delapsam è cœlo magistram virginibus pudicissimis venditaret.

Ab improbis hisce morum magistris, qui sibi dumtaxat blandiuntur, in ceteros autem sæviunt, quàm remotissimè absunt probi quidam magistri morum, qui parcè ac duriter seipsos habent; ceteros verò liberaliter, atque indulgenter: qui asperrima quæque sibi imperant; mitiora verò aliis suadent: qui seipsos inclementer excruciant; ceteros autem accipiunt perhumanè: animo sibi immitti; ceteris vero obsequenti. Hi sectatores se comprobant

Divini bonorum morum Magistri Christi Domini, cujus docendi, & vivendi rationem omnem atque consuetudinem doctrinâ, disciplinâ, & moribus suis exprimunt, atque referunt. Quàm enim suavis divini Magistri morum doctrina! Quàm mitia præcepta! Quàm blanda consilia! E contrariò: Quàm aspera sibi vita! Quàm rigidi sibi mores! Quàm dura, & parca vivendi in divino humanorum morum Magistro consuetudo! His cælestibus institutionibus, doctrinæ scilicet suadendæ suavitate, atque agendæ vitæ austeritate, ad omnem honestatem, probitatemque discipulos suos informavit. Quod enim pertinet ad divini Magistri doctrinam, jugo quidem, ac oneri suam comparat disciplinam; sed jugum eam docet esse non asperum, sed suave: onus nequicquam grave, sed leve. Quod autem positum est in vitæ austerioris consuetudine, in extremâ rerum omnium inopiâ atque egestate, in abjectissimâ sui despicientiâ, & contemptu, in summis corporis, animique cruciatibus, asperrimam egit ætatem, atque acerbissimam mortem subivit. His præceptis, institutisque informati, atque exculti divini Magistri Auditores, & doctrinæ suavitatem, & vitæ austeritatem profitentur. Compertumque est, magistrâ

gistrâ experientiâ , ex omni Christianæ Religionis memoriâ ad nostra usque tempora derivatâ , quod sicuti singulare quoddam est probitatis insigne doctrinæ suavitas , cum vitæ austeritate conjuncta ; ita satis perspicua improbitatis est nota doctrinæ austeritas , cum suavitate vitæ , iniquo fœdere , sociata. Neque verò cùm suavitatem doctrinæ commendo , laxioribus morum præceptis , institutisque faveo , a quibus cùm ingenii , tùm Instituti mei ratione vehementer abhorreo , mediamque viam inter nimiam benignitatem , nimiamque severitatem tenendam esse decerno . Nam id arbitror , *cum Terentiano Sosia* , adprimè in vitâ esse utile : UT NE QUID NIMIS . *Neque immemor sum sanissimi illius moniti* :

Est modus in rebus : sunt certi denique fines ,
Quos ultrâ , citrâque nequit consistere rectum.

Quod si alicubi Novatores insectans , ultrà progredi , atque in Theologorum diversa sententium ditionem irrumpere videar , nullam tamen censoriam notam inurere intendo sententiis illis , quæ hactenus non sunt proscriptæ ab Ecclesia , cujus definitionibus me , meaque omnia subjicio .

Habes igitur , HANNIBAL CARDINALIS AMPLISSIME , *consilii mei , atque Operis tibi*

b 2 *in-*

inscripti expeditam, explicatamque rationem, quam caussæ pernecessariam, mihi honorificam, tibi non injucundam fore confido. Postremò, ne te diutius detineam, Deum Optimum Maximum magnopere oro, atque obsecro, ut, ad incolumem, ac diuturnam Ecclesiæ suæ felicitatem, te diuturnum, atque incolumem tueatur. Quidni tueatur? An non odisti facta Nicolaitarum, quæ & ipse odit? Tuebitur. Vale.

AD



AD LECTOREM.



Enè ac Sapienter Sanctus Augustinus de Schismaticis Donatistis pronuntiavit Lib. 3. contra Epistolam Parmeniani c. 1. n. 1. to. 9. *Illi filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes jactantiâ sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant, superbiâ tumidi, pervicaciâ vesani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere ostendantur, UMBRAM RIGIDÆ SEVERITATIS OBTENDUNT.* Hæc autem, quæ S. Doctor de ætatis suæ Schismaticis prædicat, eadem hæreticis nostræ ætatis quàm benè apta congruunt, atque conveniunt! Hi enim austeriorem quandam severitatem præseferunt, qua rudis, atque imperitæ multitudinis existimationem sibi concilient, hisque artibus in suas partes deceptum vulgus traducant. At si, detracto severioris probitatis amictu, introspiciantur, depravatus animus,

mus, corrupta mens, nefaria illorum consilia protinus se manifestant. Sub simulata modestiæ, Religionis, amoris, atque concordiæ specie, nihil aliud præter temeritatem, pervicaciam, insidias, seditiones nutriunt, ac fovent. Ecclesiam senio confectam, repudiatam antiquiorum Patrum doctrinam, collapsam veterem disciplinam, corruptos mores, abusus longè latèque diffusos, qua verbis, qua scriptis, non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum, ut verbis S. Doctoris utar, passim deplorant. Verùmenim verò asperior illa severitas, quam ostentant, litteris, atque declamationibus tota concluditur; neque ex ea quidpiam in illorum enervatos mores, laxamque vivendi rationem manat, aut influit. Quò enim rigidiores sunt in præceptis, eò sunt laxiores in moribus. At quorsum spectet, Amice Lector, immanis hæc rigidiorum horum hominum austeritas, paucis aperiam. Arctissimam prædicant severitatem, ut dissolutissimam laxitatem inducant. Profectò nihil est, quod Christianos homines magis in officio contineat, quàm spes sempiternæ beatitatis consequendæ; nihil est, quod magis illos ad scelera quæque perpetranda impellat & urgeat, quàm sempiternæ salutis desperatio. Jam verò immanis illa severitas, quam rigidiores isti magistri in scænam producunt, in summam desperationem sempiternæ salutis adipiscendæ exanimatos homines conjicit. Quæ enim vel minima consequendæ salutis scintilla affulgeat homini, qui sibi suadeat, atque in animum

indu-

inducat suum: nolle Deum omnes homines salvos fieri? Christum Dominum non pro omnibus hominibus mortuum esse, non pro omnibus, non dico, sanguinem, sed ne preces quidem fudisse? Non esse in hominis potestate omnia Dei præcepta servare; quin & divina auxilia ad eadem custodienda penitùs necessaria, non semper hominibus justis, non solùm volentibus, sed ne conantibus quidem adesse? Non omnibus ratione utentibus, nullis Infidelibus, nullis peccatoribus obduratis, atque excæcatis opitulari Deum gratiæ suæ beneficiis, quibus & abstinere a peccatis, & legem suam sartam, tectamque valeant custodire? Voluntatem humanam mediam, atque libratam hinc, & inde inter oppositas delectationes versari, cœlestem videlicet, atque terrenam, quarum si cœlestis majori momento prævaleat, pondere suo ad bonum; si terrena, pondere suo ad malum, versatilem atque ancipitem hominis voluntatem, resistendo imparem, secum pertrahat, necesse sit? Post Adæ peccatum, actum esse de arbitra hominis libertate, nec amplius apud hominem residere electivum dominium super suos actus honestos, & inhonestos? Infideles, & peccatores in singulis suis operibus, etiam quæ absolutæ honestatis, atque virtutis speciem præseferunt, necessariò peccare? Æternæ pœnæ formidinem, sempiternæ mercedis cupiditatem, uno verbo, omnem affectum ex puro in Deum caritatis motivo non profluentem, vitiosum esse, atque inhonestum? Pœnitentem dimittendum inabsolutum,

tum, donec diuturnam exhibuerit satisfactionem? Removendos justos imperfectiores a frequentia Templi, Sacrificii, Mensæ Eucharisticæ, ad quam illis non amplius, quàm semel, aut bis in anno pateat accessus? His atque similibus crudelis Ethices imbutus præceptis, atque institutis auditor, quânam spe sustenteтur vel conservandæ, vel reparandæ innocentiæ, vel impetrandæ veniæ, vel abstinendi a peccatis, vel evidendi æterni supplicii, vel sempiternæ felicitatis adipiscendæ? Actum omnino esse de salute sua existimabit; cùmque ex hac vita excesserit, nihil sibi sperandum in futura vita affirmabit. Desperatis igitur sempiternis bonis, ad comparanda fluxa & caduca bona totum se convertat, necesse est. Libidinibus indulgendum, opibus circumfluendum, honoribus redundandum, per scelera ipsa, nefasque, apud se statuet, atque decernet. Vides igitur, Amice Lector, quorsum evadat decantata illa severitas, quam plenis buccis rigidiores isti magistri venditant. Totius scilicet honestatis lumen extingunt, virtutem omnem radicitùs prorsus evellunt, atque ad omne flagitium facilem viam aperiunt, ac sternunt. Pharisæorum instar, suavi jugo, atque levi Christi Domini oneri subjectos homines, immenso gravissimorum ponderum acervo comprimunt, quo anhelitum miseris intercludant, facilemque divinæ legis viam, saxis, trabibus, atque dumetis impediunt, dein ita crudeliter prægravatos urgent ac fodicant, ut perdifficilem, atque impeditissimam viam concitato gradu conficiant.

At

At miseri & ferendo ponderi, & metiendo curriculo impares, suave jugum, & leve onus, cum coacervatis molibus simul excutiunt, mox ab impedita legis divinæ semita ad explicatiorem iniquitatis, & perditionis viam dilabuntur. His rigidiorum hominum placitis, atque opinionibus instructus, Amice Lector, ad evolvendum de Doctrina morum volumen, ex Theologicis Sancti Augustini Sententiis contextum, accede: Jesumque mitissimum deprecare, ut rigidiores isti Severæ Disciplinæ magistri, & mitiores sese exhibeant in doctrina, quam venditant: & severiores sese præbeant in vita, quam agitant. Vale.



FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm secundam partem Libri, a P. Laurentio Alticotio Societatis nostræ Sacerdote conscripti, cui titulus: *Summa Augustiniana*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 10. Januarii 1744.

Franciscus Retz.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag. Sacri Palatii Apostolici.

Ferdinandus M. de Rubeis Archiep. Tarsen. Vicesg.



Summæ Augustinianæ, diligenti opera, accuratoque studio Reverendi admodum P. Laurentii Alticotti è Soc. Jesu simul collectæ, partem alteram, jubente Reverendissimo P. Sac. Palatii Apostolici Magistro, Aloysio Nicolao Ridolfi, attentè legi. Nihil in illa, quod Catholicæ Fidei, aut morum regulis adverfetur, reperi; eamdemque arbitror perutilem, atque percommodam iis futuram, qui de pluribus controversiis veram, germanamque Sanctissimi Ecclesiæ Doctoris, & Episcopi Augustini mentem investigare, ac nosse desideraverint. Quapropter dignam censeo, ut typis mandetur.

Ex Ædibus S. Petri ad Vincula die 23. Decembris 1744.

D. Antonius Andreas Galli Canonicus Regularis Sanctissimi Salvatoris, & Abbas S. Mariæ de Rheno.

JUssu Reverendissimi P. Aloysii Nicolai Ridolfi Sac. Pal. Apostolici Magistri, accuratè legi Librum, cui titulus: *Summa Augustiniana ex collectis, ordinatis, disputatis, explicatisque sententiis theologicis Divi Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi, P. Laurentio Alticotio Cortonensi Soc. Jesu Presbytero Interprete*: Et in eo nihil Fidei, & bonis moribus adversum deprehendi; quin immo non mediocre ex eo operæ pretium facturam Catholicam Religionem existimo. Cùm enim plerique nostræ, ac superioris ætatis hæretici in suas quisque partes S. Augustinum distrahant, & unam, eandemque esse contendant cum Augustiniana, Lutheranam, Calvinianam, & Jansenianam causam; eoque audaciæ processerint, ut pestiferum librum specioso *Augustini* nomine inscripserint: icciréo æquum fuit, ut Summa isthæc prodiret, qua nimirum S. Doctoris arma ab hostium manibus extorquerentur; ac jure belli erepta in adversarios ipsos intorquerentur. Provinciam hanc Author ab omni partium studio liber aggreditur, & pro dignitate sustinet: verum, germanumque S. Augustini sensum a ficto, & falso secernens. Quapropter dignum censeo, ut publici juris fiat. Ex Monasterio S. Stephani supra Caccum de Urbe, Idibus Januariis anno MDCCXLV.

D. Carolus Lucarellus Abbas Ord. S. Benedicti Congregationis Silvestrinæ Sac. Rit. Congregationis Consultor.



IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Mag.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Quæ in secunda Parte continentur.

QUÆSTIO PRIMA

DE MERITIS NATURÆ LAPSÆ.



QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

DE MERITIS INFIDELIUM, ET PECCATORUM.

QUÆSTIO TERTIA.

DE MERITIS JUSTORUM.

AR-



QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA

DE MERITIS NATURÆ LAPSÆ

In sex articulos distributa.

Nihil adeo tritum ac decantatum apud recentiores nostræ ætatis Etherodoxos, quam confertissimas calamitates in hominum Genus ex primorum Parentum labe diffusas verbis mæstissimis amplificare. Omnia corrupta, contrita, ac penitus extincta, Adam peccante, decernunt; nec aliud quidpiam post commune excidium, quam ineluctabilem peccandi necessitatem, atque malorum omnium illuviem nobis superesse pronuntiant. Quæ autem in vitiatæ naturæ dedecus, plusquam par est, accumulant, eadem ex præclarissimo Doctore Augustino sese accepisse contendunt. Quamobrem in hac prima quæstione, quæ fuerit S Doctoris sententia de meritis naturæ lapsæ in lucem producere, Deo favente, molimur. Illam autem in sex articulos partitam damus. Primus est: Utrum ex S. Augustino pro hoc statu naturæ lapsæ detur verum, ac proprium supernum meritum? Secundus: Utrum ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili sit formale peccatum ad reatum hominis imputabile? Tertius: Utrum ex S. Augustino omnis amor creaturæ rationalis sit vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis? Quartus: Utrum ex S. Augustino omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, sit inhonestus atque vitiosus? Quintus: Utrum ex S. Augustino timor divini supplicii sit affectus vitiosus & inhonestus? Sextus: Utrum ex S. Augustino amor divinæ mercedis sit affectus vitiosus & inhonestus?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex S. Augustino pro hoc statu naturæ lapsæ detur verum ac proprium supernum meritum?

Videtur, quod ex S. Augustino pro hoc statu naturæ lapsæ non detur verum ac proprium supernum meritum; siquidem subjectæ S. Doctoris sententiæ desinitionem propositam sic tueri videntur.



I. Lib. de Correp. & Gratia cap. 12. num. 37. to. 10. *Unde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis, nisi gratia Liberantis; ita ergo non glorietur omnis caro coram ipso: non enim gloriantur injusti, qui non habent unde: nec justi; quia ex ipso habent unde.*

II. Lib. de Prædest. SS. c. 15 n. 31. to. 10. *Humano hic merito conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat, Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum.... Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.*

III. Lib. 83. Quæst. quæst. 68. n. 3. to 6. *Cum ergo meritum peccando amiserimus, & misericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus, nisi æterna damnatio debeatur, quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat, & dicat: Quare me sic fecisti?*

IV. Lib. de Correp. & Gratia c. 11. n. 32. to. 10. *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat, & homini, sicut facto est Angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito*

rito in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

V. Lib 14. de Civitat. Dei c. 26. to. 7. *Verumtamen Omnipotenti Deo summo, ac summe bono, Creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori, & remuneratori; malarum autem relictori, & damnatori, utrarumque Ordinatori non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in sua Sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret, non eos jam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S Augustino pro hoc statu naturæ lapsæ detur verum ac proprium supernum meritum; de meritis enim naturæ lapsæ beneficio divinæ gratiæ in statum pristinum revocatæ S. Augustinus longe aliter sentit, ac adversarius fatetur, quod perspicua S. D. verba mox recitanda satis luculenter ostendunt.

I. Lib. de Dono Persev. c. 2. n. 4. to. 10 Dogma Catholicum Pelagianum errorem evertens his verbis refert, atque confirmat. *Tria sunt, ut scitis, quæ maxime adversus eos Catholica defendit Ecclesia, quorum est unum: Gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia conferuntur etiam merita universa justorum.* Jam vero duo meritorum genera commemorat hic Augustinus. Primi generis sunt falsa merita Pelagiana, solis naturæ viribus comparata, primum exordium atque caussa gratiæ: quæ gratiam præcederent, non consequerentur ex gratia: quibus debita redderetur gratia, non quæ ex indebita donarentur gratia: quorum gratia esset merces, non quæ gratiæ essent donum. Et hæc sunt merita Pelagiana ab Augustino adversus Pelagianos disputante, feliciter expugnata. Secundi generis sunt vera merita christiana gratiæ divinæ munere parta, effectus, soboles, atque fructus gratiæ: non quæ consequen-

tem antecedant gratiam, ſed quæ ex præcedenti conſequantur gratiâ: non quibus debita reddatur gratia, ſed quæ ex indebitâ donentur gratiâ: non quorum gratia ſit merces, ſed quæ gratiæ ſint donum. Uno verbo. Quæ gratiæ ſint munus, quibus gloria ſit præmium. Et hæc ſunt Chriſtiana merita ab Auguſtino invictiſſimè propugnata; ac proindè ex S. D. pro hoc ſtatu naturæ lapſæ datur verum, ac proprium ſupernum meritum.

II. Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagianorum c. 6. n. 11. to. 10. Sic iterum Pelagianos adoritur: *Itane verò, filii ſuperbiæ, inimici Gratiæ Dei, a novi Hæretici Pelagiani, quiſquis dicit: Gratia Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non ſit gratia, ſi non gratis datur, ſed debita merentibus redditur, fatum vobis videtur aſſerere?* Quare ex S. Auguſtino pro hoc ſtatu naturæ lapſæ dantur vera ac propria ſuperna merita, non quidem viribus naturæ parta, ſed munere gratiæ comparata, non quæ gratiam præveniant, ſed quæ gratia præveniantur, non quibus debita reddatur gratia, ſed quæ ex indebita donentur gratia. Quare, ut vides, non negat hic Auguſtinus bona hominis merita dari, ſed negat gratiâ Dei hominis bona merita non præveniri: non negat merita ex gratiâ, ſed negat gratiam ex meritis: quod ſi contingeret, ut Pelagiani affirmabant, non re ipſa ex S. D., ſed voce tenus haberemus gratiam. Quod enim pro meritis debitum redditur, non gratia eſt, ſed juſtitia: merces eſt, non eſt munus: non eſt donum, ſed præmium: non eſt gratuita largitio, ſed eſt oneroſa ſolutio.

III. Lib. de Gratia & Lib. arbitr. c. 6. n. 13. to. 10. hæc habet de gratia, quâ efficitur noſtrum ſupernum meritum: *Sed planè cum data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona; per illam tamen; nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio.*

IV. Serm. 169. de verbis Apoſtoli c. 2. n. 3. to. 5. *Non putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres, niſi accepiſſes. Gratia præceſſit meritum tuum: non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia; nam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti.*

V. Epiſt.

V. Epist. 194. ad Sixtum c. 5. n. 19. tom. 2. *Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in bonis faciat nisi gratia? & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua.*

VI. Serm. 131. c. 8. n. 8. to. 5. *Audi Deus quid dicat: qui coronat te in miseratione & misericordia: de misericordia te coronat, de miseratione te coronat; non enim dignus fuisti, quem vocaret, & vocatum justificaret, justificatum glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia; nam ei, qui operatur, merces non imputabitur secundum gratiam, sed secundum debitum; .... Te autem coronat in miseratione & misericordia: & si tua merita præcesserunt, dicit tibi Deus: discute bene merita tua, & videbis, quia dona sunt mea.*

VII. Lib. de Gratia & lib. arb. c. 18. n. 38. tom. 10. *Quia electi sunt, elegerunt; non quia elegerunt, electi sunt: Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret.*

VIII. Epist. 217. ad Vitalem c. 7. n. 28. to. 2. *Hæc & alia testimonia divina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratia sua auferre Infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* Itaque ex S. Augustino, Pelagianos redarguente, quia gratia eligentis Dei prævenit homines, ideo est meritum eligentium hominum: prævenit Deus in hominibus bonarum merita voluntatum, itaut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur: gratia præcedit meritum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia: per gratiam incipiunt esse merita nostra bona: omne meritum nostrum bonum facit in nobis gratia, & hac de caussa hominis merita non sunt nisi Dei munera. Ex his autem adversus Pelagianos ab Augustino ad extremum usque disputatis infertur, quod Pela-

Pelagiani, vi & copia argumentorum, in suis cum Augustino de gratia concertationibus, frequenter attriti, retro paulatim pedem retulerunt, & gratiæ naturam, existentiam, necessitatem, quæ primò negaverant, ultrò admiserunt: ab Augustino, & catholicis in eo ad ultimum dissentientes, quod ad seriem, ordinem, & præcedentiam meritorum, & gratiæ pertinebat. Merita enim humana a solâ naturâ proficiscentia præcedere contendebant, quibus præeuntibus, Dei gratiam, instar mercedis meritis humanis debitæ, ponè subsequi prædicabant. At Augustinus neque in extremo hoc spatio, quò se receperant, passus est consistere Pelagianos, & cum catholicâ Ecclesiâ Dei gratiam præcedere, anteire, producere, ac constituere omnia hominis merita salutaria, ex gratia tanquam ex fonte superno profluentia, invictissime demonstravit. Quamobrem ex Augustini placitis conficitur pro hoc statu naturæ lapsæ dari verum, ac proprium supernum meritum.

IX. Lib. de Gratia & lib. arbitr. c. 6. n. 14. tom. 10. hæc de Paulo, sua merita commemorante, testatur: *Ista utique jam merita sua bona commemorat, ut, post bona merita, consequatur coronam, qui, post merita mala, consequutus est gratiam.*

X. Serm. 297. c. 4. n. 6. to. 5. de eodem eadem sic recenset: *Cui reddet coronam debitam, o Paule parve, magne, cui reddet? Utique meritis tuis. Bonum certamen certasti, cursum consumasti, fidem servasti: reddet coronam debitam his meritis tuis; sed, ut reddatur tibi corona tua, Dei dona sunt merita tua..... Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Ecce unde pugnasti, ecce unde laborasti, ecce unde non defecisti, ecce unde vicisti.*

XI. Lib. de Patientia c. 20. n. 17. to. 6. *Hæc est electio gratiæ, qua omnia bona merita præveniuntur humana; si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur.... Si autem ut vera sit gratia, idest, gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur.... Prævenit ergo etiam Fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt.... Porro autem Gratia non*

solum

ſolum adjuvat Juſtum, verum etiam juſtificat impium; & ideo etiam cum adjuvat juſtum, & videtur ejus meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia, quoniam id adjuvat, quod ipſa eſt largita.

XII. Epiſt. 194. ad Sixtum c. 2. n. 6. to. 2. *Nullane igitur ſunt merita Juſtorum? Sunt plane, quia juſti; ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt.* Igitur ex ſuperioribus Auguſtinianis locis ſummatim collectis, Paulus poſt merita mala conſecutus eſt gratiam, poſt gratiam bona merita eſt conſecutus, coronam gloriæ poſt merita bona conſecuturus. Debita erat corona gloriæ bonis meritis Pauli; verum quia ex indebitâ gratiâ merita illa fuerunt, ideò munera Dei fuerunt. Dei gratiâ omnia bona merita præveniuntur humana: gratia Dei prævenit etiam fidem, ex quâ omnia bona opera ſalutaria incipiunt; cum Dei gratia adjuvat juſtum, & videtur ejus meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia, quoniam id adjuvat, quod ipſa largita eſt, ſcilicet, hominem factum ex impio juſtum: ſunt plane juſtorum merita, quia juſti ſunt; ſed ut juſti fierent, juſta merita non fuerunt; ac proindè ex S. Auguſtino pro hoc ſtatu naturæ lapſæ dantur vera ac propria ſuperna merita, quorum tamen gratia eſt fons & origo, quæ conceditur immerentibus, ex quâ omnia juſtorum merita manant, ac fluunt.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. D. natura humana in primo parente vitiata per liberum illius arbitrium perdidit ea bona merita, quæ per idem arbitrium liberum potuit habere. Si enim Adam acceptam originalem juſtitiam cuſtodiſſet incolumem, merè gratuitam ſimul cum naturâ poſteri accepiſſent & gratiam, quæ caput eſt omnis ſuperni meriti. At cum Deus miſericors corruptam in Adam decreverit reparare naturam, beneficio divinæ gratiæ, quæ confertur indignis, atque immerentibus, reſtaurantur in nobis ſuperna merita, quorum gratia eſt initium: Liber vero voluntatis aſſenſus eſt quoddam meritorum veluti complementum. Hinc optimè S. D. loco citato concludit. *Non gloriantur coram ipſo de meritis ſuis Juſti, quia ex ipſo habent unde.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino humana merita præcedentia Fidem atque Baptiſmum, qualia Pelagiani ad-

adstruebatur, conticescant necesse est; Siquidem post Adæ peccatum, quod totam posteritatem ab ipsa origine infecit, non bona, sed mala merita fidem præcedunt atque baptismum. At restauratam beneficio baptismi Justitiam consequuntur, dono gratiæ, vera ac propria superna merita. Hinc S. D. Epist. 194. ad Sixtum c. 2. n. 6. to. 2. *Nullane*, inquit, *sunt merita Justorum? Sunt plane, quia justi sunt; sed, ut Justi fierent, merita non fuerunt.*

At ternum dicendum, quod ex S. D. meritum peccando quidem amisimus, & misericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus, nisi æterna damnatio debetur; sed misericordia Dei opitulante, debitum peccati extinguitur, revocatur justitia, collapsa merita restaurantur. Hinc in Enchiridio c. 106. n. 28. to. 6. *Post illam ruinam*, inquit, *major est misericordia Dei, quando & ipsum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum, nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur, ut voluntas ipsa, sicut scriptum est, a Domino præparetur, qua cetera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. D. sempiterna Beatitas, potestatem peccandi excludens, est simul merces meriti, & donum gratiæ tum respectu naturæ innocentis, tum respectu naturæ vitiatæ, nulla facta comparatione inter utramque naturam. At si comparatio fiat inter naturam hinc innocentem, inde vitiatam, sempiterna Beatitas est multo magis merces meriti respectu naturæ innocentis, cui nullum debetur supplicium, quam respectu naturæ vitiatæ, cui non debetur nisi supplicium. & è contrario est multo magis donum gratiæ respectu naturæ vitiatæ, cui non debetur nisi supplicium, quàm respectu naturæ innocentis, cui nullum debetur supplicium; adeoque, sicuti dignitas naturæ innocentis imminuit rationem gratiæ, & auget rationem meriti respectu supernæ beatitatis; ita è contrario indignitas naturæ vitiatæ imminuit rationem meriti, & auget rationem gratiæ respectu ejusdem beatitatis. Præclarum autem est illud S. D. eodem Lib. de Cor-

Corrept. & gratia c. 13. n. 41. to. 10. ubi vitam æternam & donum gratiæ, & mercedem meriti in nobis esse definit. *Verumtamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini; recte quippe intelligitur, quæ in Evangelio legitur gratia pro gratia, idest, pro his meritis, quæ contulit gratia.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. D. Deus non discernit prædestinatos a reprobis meritis eorum præcedentibus gratiam, quæ sibi solis naturæ viribus comparaverint, quod Pelagiani prædicabant; sed gratia sua collata indignis atque immerentibus, quæ prima est origo, unde omnia prædestinatorum superna merita manant. Fuit enim Pelagianorum error, gratiam Dei hominibus dari tanquam mercedem debitam præcedentibus illorum meritis, quæ solis naturæ viribus sibi essent adepti: Hinc deducebant, Deum propter prævisa hæc merita naturalia quosdam ad gratiam & gloriam prædestinare & eligere, eosdemque segregare, seu discernere a reprobis. Hæc merita Pelagiana frequentissime S. D. commemorat, atque refellit. Sic Lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 11. n. 30. to. 10. hæc habet: *Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat adjumentum.* Et Lib. de Grat. & Lib. arbitr. c. 6. n. 15. to. 10.: *Cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero, quæ datur in fine, idest, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis; si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et Lib. de Prædest. SS. c. 5. n. 10. to. 10. *Num, quæso, agit*

aliud, nisi, ut qui gloriatur in Domino glorietur? Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei Et Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 19. n. 37. to 10. Sic Julianum aggreditur: *Cur enim non dixisti: hominem Dei gratia in bonum opus excitari.... Sed aisti, in bono opere a Dei gratia semper adjuvari? tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis, videlicet, voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita; ac sic gratia, jam non sit gratia.* Et Lib. de Prædest. SS. c. 18. n. 36. tom. 10. *Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quâ tales futuros esse præscivit, elegit: Elegit ergo, inquit, ante quam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, immaculatosque præscivit, utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Tria sunt, ut scitis, quæ maxime adversus eos,* Pelagianos, *Catholica defendit Ecclesia, quorum est unum: gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia conferuntur etiam merita universa Justorum.* (b) *Itane igitur filii superbiæ, inimici gratiæ Dei, o novi hæretici Pelagiani quisquis dicit: Gratia Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur, fatum vobis videtur asserere?* (c) Quæ quidem gratia *eum data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: Nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio.* (d) *Non putes,* ergò, *te promerendo accepisse, qui non promereres, nisi accepisses; gratia præcessit meritum tuum: Non gratia ex merito, sed meritum ex gratia; nam si gratia ex merito, emisti, non*

gra-

gratis accepisti. (e) *Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia? & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.* (f) Nam *audi Deus quid dicat: qui coronat te in miseratione, & misericordia: de misericordia te coronat, de miseratione te coronat; non enim dignus fuisti quem vocaret, & vocatum justificaret, justificatum glorificaret: reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt; si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; nam ei, qui operatur, merces non imputabitur secundum gratiam, sed secundum debitum; te autem coronat in miseratione & misericordia, & si tua merita præcesserunt, dicit tibi Deus: discute bene merita tua, & videbis quia dona sunt mea.* (g) Hæc sunt *merita sua bona*, quæ *commemorat* Paulus, *ut post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consequutus est gratiam.* (h) *Cui* ergo *reddet coronam debitam, o Paule parve, magne cui reddet? utique meritis tuis: bonum certamen certasti, cursum consumasti, fidem servasti: reddet coronam debitam his meritis tuis, sed ut reddatur tibi corona tua, Dei dona sunt merita tua .... Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: Ecce unde pugnasti, ecce unde laborasti, ecce unde non defecisti, ecce unde vicisti.* (i) Constat ergo Deum *gratiâ sua prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, itaut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* (k) Nam *quia electi sunt, elegerunt; non quia elegerunt, electi sunt: eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret.* (l) *Hæc est* igitur *electio gratiæ, qua omnia bona merita præveniuntur humana; si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur; si autem ut vera sit gratia, idest gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur .... Prævenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt ..... Porrò autem gratia non solum adjuvat justum; verumetiam justificat impium; & ideo etiam*

cum adjuvat justum, & videtur ejus meritis reddi, nec sic desinit esse gratia; quoniam id adjuvat, quod ipsa est largita. (m) *Nullane igitur sunt merita Justorum? Sunt plane, quia Justi sunt; sed ut Justi fierent, merita non fuerunt.* Hactenus ex Sancto Augustino.

(*a*) L. De dono Persev. c. 2. n. 4. to. 10. (*b*) L. 2. contr. duas Epist. Pelag. c. 6. n. 11. to. 10. (*c*) L. de Grat. & lib. Arb. c. 6. n. 13. to. 10. (*d*) Serm. 169. de verbis Apostoli c. 2. n. 3. to. 5. (*e*) Epist. 194. ad Sixtum c. 5. n 19. to. 2. (*f*) Serm. 131. c. 8. n. 8. to. 5. (*g*) L. de grat. & lib. arb. c. 6. n. 14. to. 10. (*h*) Serm. 297. c. 4. n. 6. to 5. (*i*) Epist. 217. ad Vitalem c. 7. n. 28. to. 2. (*k*) L. de grat. & lib. arb. c. 18. n. 38. to. 10. (*l*) L. de Patientia c. 20. n. 17. to. 6. (*m*) Epist. 194. ad Sixtum c. 2. n. 6. to. 2.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili sit formale peccatum ad reatum hominis imputabile?

Videtur, quod ex Sancto Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili sit formale peccatum ad reatum hominis imputabile; propositæ enim assertioni favere videntur ea, quæ sequuntur S. D. testimonia.

I. Lib. 1. Operis imperfecti n. 47. to. 10. *Tertium vero genus, ubi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago: Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona.*

II. Lib. 1. Operis imperfecti n. 105. to. 10. *Cum igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere: & peccatis de ignorantiæ, vel affectionum necessitate venientibus, quæ jam non solum peccata,*

cata, verumetiam pœnæ sunt peccatorum, plenum sit genus humanum, quomodo dicis, definitionibus nostris peccatum, nec in moribus inveniri?

III. Lib. 1. Operis imperfecti n. 106. to. 10. *Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur justitia, numquid ideò cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit? ..... Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.*

IV. Lib. 1. Retract. c. 13. n. 5. to. 1. *Quamvis & illa, quæ non immerito, non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omnimodo possunt sine voluntate committi.*

V. Ad Publicolam Epist. 47. n. 4. to. 2. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit; hoc putando, utique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.*

VI. Lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 3. n. 5. to. 10. *Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt; sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quid crederet; sed fortasse, ut mitius ardeat.*

VII. Tract. 89. in Joannem n. 3. & 4. to. 3. *Restat inquirere: Utrum hi, qui prius quam Christus in Ecclesia veniret ad Gentes, & priusquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine perventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem? Possunt plane; sed non ideo possunt effugere damnationem; quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege, & peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur .... Isti certe, ad quos venit, & quibus loquutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere: non vidimus, non audivimus, sive non acceptaretur ista excusatio ab illo, cujus inscrutabilia sunt judicia, sive acceptaretur, & si non ut ab omni damnatione liberarentur, certe ut aliquanto lenius damnarentur.*

VIII.

VIII. Lib. 1. de Conjugiis adulterinis c. 9. num. 9. to. 6. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi; numquid ideo non peccatum est illi etiam, qui nescit bonum facere, & ideo non facit? Utique peccatum est, sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat; nec illud ideo nullum, quia minus .... Sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora, quam scientium.*

IX. Lib. 3. de lib. arb. c. 18. num. 51. to. 1. *Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus: ait enim Apostolus, misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci: ait & Propheta: Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile; siquidem subjectis sententiis mentem suam sic S. Augustinus facit perspicuam.

I. Lib. 3. de lib. arb c. 18. n. 50. to. 1. *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest.*

II. Lib. 3. de lib. arb. c. 19. n. 53. to. 1. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

III. Lib. 3. de lib arb. c. 22. n. 64 to. 1. *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, & quod dignam, facilitati comparandæ ad rectè faciendum, operam non dedit.* Jam vero ex S. Augustino nulla peccata sunt sub fallacia tantâ, quæ caveri omnino non potest: non deputatur homini ad

ad culpam, non deputatur animæ ad reatum, quod invitus ignorat homo, quod naturaliter nescit anima. Sed fallacia tanta, quæ caveri omninò non potest, non est nisi ignorantia invincibilis: quod invitus ignorat homo, ignorantia sanè invincibili ignorat: quod naturaliter nescit anima, ex ignorantia invincibili nescit; quare ex S. Augustino nulla sub ignorantia invincibili peccata sunt: non deputatur homini ad culpam peccatum ex ignorantia invincibili a se contractum: non deputatur animæ ad reatum crimen ex ignorantia sibi invincibili admissum. E contrario ex S. Augustino deputatur homini ad culpam, si negligit rectum quærere quod ignorat: & deputatur animæ ad reatum violatio recti, quod scire non studuit. Sed ignorantia recti, quæ oritur ex negligentia quærendi, & ex neglecto studio sciendi, non est nisi ignorantia vincibilis; quare ex S. Augustino deputatur homini ad culpam peccatum ex ignorantia vincibili a se contractum: deputatur animæ ad reatum crimen ex ignorantia a se vincibili admissum; ac proinde ex S. Doctore peccatum quidem formale est, & ad reatum hominis imputabile, quod est commissum sub ignorantia vincibili, non est autem hujusmodi, quod est admissum sub ignorantia invincibili.

IV. Lib. 2. cont. Cresconium Grammaticum c. 26. n. 32. to. 9. *Si enim conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit; nunc incipit lædi, quia scivit; velut si tunica de latrocinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit; & ipse iniquus, nisi abjecerit. & qui nesciens uxorem duxerit alienam ex illo fit adulter, ex quo didicerit, nisi discesserit.* Igitur ex S. Augustino actus suapte natura malus, ut est liber usus vestis, & uxoris alienæ, cum bona fide, & sub ignorantia invincibili, non est peccatum conscientiam lædens; ac proinde ex S. D. non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

V. Lib. 3. de lib. arb. c. 20. n. 58. to. 1. *Hanc ignorantiam, & difficultatem studiosis & benevolis evincendam, ad coronam gloriæ valere præstaret; negligentibus autem, & peccata sua de infirmitate defendere volentibus, non ipsam ignorantiam, diffi-*

difficultatemque pro crimine objiceret; sed quia in eis potius permanere, quam studio quærendi atque discendi, & humilitate confitendi atque orandi, ad veritatem ac facilitatem pervenire, voluerunt, justo supplicio vindicaret. Hinc ex S. Augustino Deus non pro crimine objicit, neque justo supplicio vindicat, nisi vincibilem ignorantiam proficiscentem ex prætermissa sedulitate, & neglecto studio quærendi, addiscendi, & veritatem adipiscendi; adeoque ex S. D. peccatum admissum sub invincibili ignorantia non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

VI. Lib. 3. de lib. arb. c. 22. n. 64. to. 1. *Si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientiæ, quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit; sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet.* Quare ex S. Augustino nullus recte arguit ignorantiam naturalem sive congenitam homini, qui ceteroquin jure meritoque pœnas luet, quoties ab illa ignorantia emergere noluerit, ac proinde ex S. D. non est ad reatum hominis imputabilis, nisi ignorantia vincibilis.

VII. Lib 3. de lib. arb. c. 24. n. 71. to. 1. *Tunc homo incipit aut stultus esse, aut sapiens, ut alterum horum necessario appelletur; cum jam posset, nisi negligeret, habere sapientiam, ut vitiosæ stultitiæ sit voluntas rea.*

VIII. Lib. 3. de lib. arb. c. 24. n. 72. to. 1. *Peccatum malum est in negligentia vel ad capiendum præceptum, vel ad observandum, vel ad custodiendam contemplationem sapientiæ.* Ex superioribus S. Augustini sententiis concluditur non subesse peccatum impotentiæ, sed neglectæ debitæ diligentiæ ad capiendum & intelligendum præceptum necessariæ; tunc enim ex S. D. fit rea voluntas, cum potest quidem si vellet comparare sibi sapientiam, & partæ sapientiæ munere ingenitam a sese excutere ignorantiam, quod ex vituperanda inertia, atque desidia præstare negligit; ac proinde ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia vincibili est quidem formale peccatum ad reatum hominis imputabile, sed non est hujusmodi, quod ab ignorantia invincibili proficiscitur.

IX.

IX. Lib. 3. de lib. arb. c. 19. n. 54. to. 1. *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non potest; ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia; nam sicut linguam dicimus, non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, idest, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicia consequatur, necesse est.* Quamobrem illud quod ignorans quisque, ignorantia sane invincibili, non rectè facit, ideo peccatum dicitur ab Augustino, quia originem ducit a primo Adæ peccato, per successionem vitiatæ sobolis, a posteris Adæ contracto; ac proinde ex S. Doctore non aliter *peccatum* dicitur, quam per Synedochen & impropriè, quatenus, cum sit effectus primi peccati, suæ caussæ nomen, appellationemque sortitur, quod *materiale peccatum* Theologi nominant. Quemadmodum ex S. Augustino sermo sive græcus, sive latinus impropriè & per synedochen vocatur *lingua* sive græca, sive latina, quatenus effectus est musculi illius, qui lingua dicitur, quæ græcas, latinasque voces distinctè efformat, & exprimit. Ceterum ex S. Doctore non est proprie, & revera peccatum, quod *formale* Theologi appellant, nisi illud, quod liberâ voluntate, & in aliquo vero sensu a sciente, teste videlicet conscientia, committitur; Quare ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili non est nisi materiale peccatum ad reatum hominis minime imputabile.

X. Lib. 6. Operis imperfecti n. 17. to. 10. *Illud quod peccatum ita est, ut non sit etiam pœna peccati, definitio ista determinat, qua dicitur: Peccatum est voluntas appetens, quod justitia vetat, & unde est liberum abstinere.... Cæcitas igitur cordis, qua nescitur quid justitia vetet, & violentia concupiscentiæ, qua vincitur etiam qui scit, unde debeat abstinere, non tantum peccata, sed pœnæ sunt etiam peccatorum, &*

ideo non includuntur illa definitione peccati, qua non definitum est, nisi peccatum solum, non quod est, & pœna peccati. Hinc ex S. Doctore conficitur, quod cæcitas cordis, quâ, ex invincibili sane ignorantia, nescitur quid justitia vetet, & materiale peccatum est, & pœna peccati formalis: Et hac de caussa non includitur hæc ignorantia, & quidquid ex ipsa consequitur, in Augustiniana illâ formalis peccati definitione, quâ dicitur: *Peccatum est voluntas appetens, quod justitia vetat, & unde est liberum abstinere.* Quandoquidem non est nobis liberum abstinere a peccato, ex ignorantiâ prorsus invincibili, admisso. Hæc autem libertas abstinendi ab opere malo est ex S. Augustino de ratione peccati formalis ad reatum hominis imputabilis. Siquidem ex S. Doctore deficiente libertate prompta, parata, atque expedita abstinendi ab opere malo, eo ipso a tali opere deficit ratio peccati formalis ad reatum hominis formaliter imputabilis, ac proinde ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantiâ invincibili non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

XI. Epist. 194. ad Sixtum c. 6. n. 27. to. 2. *Per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat; quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Jam vero agit hic S. Doctor de Infidelibus, qui Christianam Religionem ignorant, & duo Infidelium genera proponit, quorum aliqui Christianam Religionem ignorant, ignorantiâ vincibili, quâ Religionis Christianæ magistros audire noluerunt: alii Religionem Christianam ignorant, ignorantia invincibili, quâ Religionis Christianæ magistros audire non potuerunt. Contra utrosque sententiam profert Augustinus, atque definit neutros esse excusabiles, sed justam esse damnationem utriusque generis Infidelium. Est justa damnatio Infidelium, qui Christianam Religionem ignorant ignorantia vincibili; quia ignorantia hujusmodi, inquit Augustinus, *sine dubitatione peccatum est.* Est justa damna-

damnatio Infidelium, qui Christianam Religionem ignorant ignorantia ex hypothesi invincibili, non quia ignorantia hujusmodi peccatum est; sed quia pœna peccati est, videlicet, non propter hanc ignorantiam, sed propter peccatum originis, cujus pœna est hæc ignorantia. Præmiserat enim superius S. Doctor inexcusabilem esse cujuscunque generis peccatorem, vel ex reatu originis, vel ex additamento propriæ voluntatis; sed Infidelis, qui, ignorantia ex hypothesi sibi invincibili, Christianam Religionem ignorat, non est inexcusabilis ex additamento propriæ voluntatis, cum juxta hypothesim hæc ignorantia, utpotè prorsus invincibilis, non sit ex propria voluntate; ergo ex S. Doctore est inexcusabilis ex reatu originis; ac proinde ex S. Doctore non est inexcusabilis ex ignorantia, quæ, ex postulata hypothesi, sibi fuerit prorsus invincibilis; Quamobrem ex S. Augustino peccatum commissum sub ignorantia invincibili, non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

XII. In Psalm. 35. n. 1. to. 4. *Numquid & hoc cum conatu intelligit? Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris; ut quia non vis pati iniquitatem, non facias iniquitatem: quia non vis pati dolum & insidias, non insidieris alteri; hoc autem cum non vis intelligere, voluntati tuæ tribuitur.* Ex superiori sententiâ tenes quædam esse prima principia juris naturalis, effata quædam, & quasi voces ipsius naturæ, quorum insitam in animis nostris notionem habemus, cujusmodi est illud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Horum ignorantia ex S. Augustino voluntati reæ tribuitur, quia non ex eo proficiscitur, quod quis non possit; sed ex eo quod quis non velit ea intelligere; adeoque horum ignorantia alia non potest esse, quam ignorantia vincibilis ex illius ignorantiæ genere, quam *Affectatam* vocant. At è contrariò ignorantia invincibilis rerum, quæ huic ignorantiæ subjacent, non profluit ex eo quod quis non velit; sed ex eo quod quis nulla ratione possit aliquid intelligere, ejusque ignorantiam ex se deponere; ac proindè ex S. Doctore ignorantia invincibilis, & quidquid ex eâ consequitur, non voluntatis vitio, sed potestatis defectui dandum, ac tribuendum est: neque inter peccata hominum, sed inter hominum cala-

lamitates est recensendum; Quare ex S. Augustino peccatum admissum sub ignorantia invincibili non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

XIII. In eundem Ps. 35. n. 4. to. 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret; videtis quia voluntati illud tribuit. Quia sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt; sunt autem homines, qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt.* Efficitur igitur ex Sancto Augustino in duplici genere esse hominum ignorantiam. Altera est eorum qui ideò non intelligunt quæ recta sunt, quia nolunt: altera illorum est, qui ideò quæ recta sunt non intelligunt, quia non possunt. Prima est vincibilis: altera est invincibilis. Prima superari potest: non potest altera. Prima est tribuenda voluntati vitiosæ: tribuenda est altera naturæ vitiatæ: Primæ est in vitio voluntas mala: alterius est in pœna natura lapsa. Itaque ex S. Augustino peccatum admissum sub ignorantia invincibili non est formale peccatum ad reatum hominis imputabile.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. D. sicuti indeliberati concupiscentiæ motus, per illa Apostoli verba significati: *Quod nolo malum, hoc ago:* ad reatum hominis non deputantur, cum non sint nisi improprie peccata, quatenus & ab originis peccato profluunt, & ad nova peccata impellunt & urgent; ita omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona; peccata sunt, sed *materialia*, ut ajunt, quæ ad vitiatæ naturæ infelicitatem, non ad vitiosæ voluntatis reatum pertinent; dummodo ab ea ignorantia tanquam ex semine non erumpant, quæ vinci potest ac debet, qualis est ignorantia vincibilis sive affectata, sive crassa, sive supina. Si autem ab ea ignorantia hæc mala germina sint progenita, quæ nullis viribus eradicari potest, peccata esse non possunt; cum non sit liberum ab eis abstinere propter ignorantiam ab omni libera voluntate sejunctam. Inconcussum enim est illud S. D Lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. n. 53. to. 1. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino sunt quædam

dam peccata & sanè formalia de ignorantiæ, vel affectionum necessitate venientia, non quidem de necessitate physica, quæ nulla ratione vinci ac superari potest; sed de necessitate morali, quæ non aliter quam multa vi, & conatu vincitur, ac superatur. Quatuor enim commemorat S. D. exempla, loco citato, ad comprobandam in homine quamdam peccandi necessitatem, videlicet, rebellem concupiscentiam, pravam peccandi consuetudinem, perturbatos animi affectus, & ignorantiam; sed peccandi necessitas orta vel ex rebelli concupiscentia, vel ex prava consuetudine, vel ex perturbatis animi affectibus, non est nisi moralis necessitas, quæ superari potest ac debet; ergo peccandi necessitas ex ea ignorantia profluens, de qua ibi loquitur S. D., non est nisi moralis necessitas, quæ superari potest, ac debet; adeoque non est ibi sermo nisi de ignorantia aut crassa, aut supina, quæ remotâ desidia, & adhibito conatu, ac labore vincitur & debellatur. Sic enim Julianum adoritur, omnem peccandi necessitatem ex peccato originis ortam exsibilantem; adeoque moralem etiam peccandi necessitatem: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligit illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est ..... Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur; qui autem hoc nesciunt ipsa boni appetendi, malique vitandi ignorantia, patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim, ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet, facit; de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum, si non imputaret Deus Justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino necesse est, ut peccet necessitate tamen & consequenti & morali ille, a quo, propter pravam suam voluntatem, propter inertiam atque desidiam, laborisque odium, ignoratur Justitia, ignorantia utique aut affectata, aut crassa, aut supina, quæ studio & labore vincenda est, & multo magis porrectis humilibus ad Deum precibus. Cognita autem justitia, procul dubio sunt ei dimittenda pec-

peccata, quæ vitiosæ illius ignorantiæ necessitate commisit; ac proinde non est ex S. D. impunitatis securitas in morali & consequenti necessitate peccandi. *Non enim quod naturaliter nescit*, inquit S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 22. n. 64. to. 1. *& naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, & quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino peccata, quæ a nescientibus perpetrantur, ignorantia sane invincibili, & quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, non omnimòdo possunt sine voluntate committi, sed voluntate facti, non voluntate peccati, ut acutè S. D. advertit eodem lib. 1. Retract. c. 15. n. 3.; ac proinde peccata hujusmodi non sunt formalia, sed materialia peccata ad reatum hominis minime deputanda; sed audiatur S.D loco citato. *Qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum .... Quod enim si noluisset, non fecisset; non coactus est facere; quia voluit ergo, fecit; etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit; sed voluntate facti, non voluntate peccati.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando, utique peccat; sed materialiter, eo quod ponit actionem discrepantem re ipsa a recta justitiæ regula. Si enim hoc faciat, non ex pravæ voluntatis vitio, sed ex insciæ mentis errore, quem depellere a se non possit, purus & innocens est apud Deum. *Si enim tanta fallacia est*, ex S.D lib. 3. de Lib. arb. c. 18. num. 50. to. 1., *ut caveri omnino non possit, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in ea, quod nullo modo caveri potest?*

Ad sextum dicendum, quod ex S. D illa ignorantia, quæ est eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet. Si enim legem non

non literis consignatam, sed a natura ipsa acceptam & haustam custodisset: si superna illa luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, bene usus esset; si belluinam vitam non transegisset: si lumen rationis, per quod homo a pecude discrepat, omni vitiorum colluvie non extinxisset, Dei munere ad veræ Religionis scientiam pervenisset; quod satis indicat S. D. loco citato, ubi ait: *Verumtamen ut habeamus & ipsam scientiam, ne dicat unusquisque: Nescivi, non audivi, non intellexi, voluntas convenitur humana, ubi dicitur: Nolite esse sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

Ad septimum dicendum, quod ex S. D hi, qui priusquam Christus in Ecclesia veniret ad Gentes, & priusquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possunt excusationem habere de infidelitatis peccato, non autem de peccatis ceteris, quibus naturæ legem fregerunt; & ideo damnationem nequeunt effugere. Quicumque enim sine lege literis consignata, contra legem a naturâ inditam peccaverunt, sine lege literis traditâ, sed per legem a naturâ acceptam, peribunt. Etenim S. Doctor loco allegato n. 2. ad hanc quæstionem: Utrum hi ad quos non venit Christus, nec per seipsum, nec per Discipulos, nec per Ecclesiam locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo? Hanc adhibet responsionem: *Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.*

Ad octavum dicendum, quod ex S. D. peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideo non facit; illi utique, qui vel ex industria & datâ operâ scire renuit: & hæc est illa ignorantia, quam *affectatam* appellant, vel ex supina quadam aut pingui desidia & inertia, qua vel nullam, vel minimam, vel minorem, vel non omnem adhibet debitam diligentiam, & hac de caussa nunquam scientiam assequitur, quam comparare sibi studio ac labore deberet: & hæc est illa ignorantia, quam *crassam* dicunt, atque *supinam*; utramque autem a se remo-

removere unusquisque potest, ac debet. Quod si quis ea ignorantia laboret, quam, nulla adhibita prudenti diligentia, a se excutere valeat, sicuti est ignorantia, quam *invincibilem* dicunt, tunc peccatum sub illa admissum non est vitio vertendum homini ex tali ignorantia peccanti; perspicuum enim est illud S. D. Lib. de lib. arb. c. 24. n. 71. to. 1. *Tunc homo incipit aut stultus esse, aut sapiens, ut alterum horum necessaria appelletur, cum jam posset, nisi negligeret, habere sapientiam, ut vitiosæ stultitiæ sit voluntas rea.*

Ad nonum dicendum, quod ex S. D. etiam per ignorantiam facta quædam, adeoque non omnia, improbantur, & corrigenda judicantur, ea videlicet, quæ proficiscuntur ab ignorantia vincibili, quæ suam originem repetit a voluntate vitiosa vel nolente, vel negligente debitam sibi scientiam comparare; hujusmodi fuit ignorantia Saulis, & Davidis, quos S. D. adhibet in exemplum. Ceterum numero superiore dixerat S. Doctor: *Si laboriosum est, omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: Quæcumque ista caussa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Quæcumque ista caussa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest.* (b) Hinc *tibi non deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.* (c) *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc ani-*

animæ deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, & quod dignam facilitati comparandæ operam non dedit. (d) Quod si conscientia propterea lædi non potest, quia nescivit, nunc incipit lædi, quia scivit; velut si tunica de latrocinio nesciens vestiretur; ex illo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit, & ipse iniquus, nisi abjecerit: & qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, nisi discesserit. (e) Priorem tamen eam ignorantiam studiosis & benevolis evincendam ad coronam gloriæ Deus valere præstaret: negligentibus autem.... non ipsam ignorantiam pro crimine objiceret, sed quia in ea potius permanere, quam studio quærendi atque discendi ad veritatem pervenire, voluerunt, justo supplicio vindicaret. (f) Nam si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientiæ, quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit; sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet. (g) Tunc enim homo incipit aut stultus esse, aut sapiens, cum jam posset, nisi negligeret habere sapientiam, ut vitiosæ stultitiæ sit voluntas rea. (h) Peccatum enim malum est in negligentia, vel ad capiendum præceptum, vel ad observandum, vel ad custodiendam contemplationem sapientiæ. (i) Illud autem, quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere, non potest; ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia; nam sicut linguam dicimus, non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, idest, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate & a sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est. (k) Illud vero, quod peccatum ita est, ut non sit etiam pœna peccati, definitio ista determinat, qua dicitur: Peccatum est voluntas appetens, quod justitia vetat, & unde est liberum abstinere.

Cæcitas autem cordis, qua nescitur, quid justitia vetet, & violentia concupiscentiæ, qua vincitur etiam qui scit, unde debeat abstinere, non tantum peccata, sed pœnæ sunt etiam peccatorum, & ideo non includuntur illa definitione peccati, qua non definitum est, nisi peccatum solum, non quod est & pœna peccati. (l) Nihilo tamen minus *inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat; quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* (m) De iis autem, qui intelligere noluerunt, dictum est in Psalmo: *Noluit intelligere, ut bene ageret. Videtis, quia voluntati illud tribuit, quia sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt; sunt autem homines, qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt.* (n) Sed *numquid & hoc cum conatu intelligit? Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris, ut quia non vis pati iniquitatem, non facias iniquitatem: quia non vis pati dolum & insidias, non insidieris alteri; hoc autem cum non vis intelligere, voluntati tuæ tribuitur.* Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Lib. 3. de lib. arb. c. 18. n. 50. to. 1. (*b*) Lib. 3. de lib. arb. c. 19. n. 53. to. 1. (*c*) Lib. 3. de lib. arbitr. c. 22. n. 64. to. 1. (*d*) Lib. 2. contra Cresconium Grammaticum c. 26. n. 32. to. 9. (*e*) Lib. 3. de lib. arb. c. 20. n. 58. to. 1. (*f*) Lib. 3. de lib. arb. c. 22. n. 64. to. 1. (*g*) Lib. 3. de lib. arb. c. 24. n. 71. to. 1. (*h*) Lib. 3. de lib. arb. c. 24. n. 72. to. 1. (*i*) L. 3. de lib. arb. c. 19. n. 54. to. 1. (*k*) L. 6. Operis imperfecti n. 17. to. 10. (*l*) Epist. 194. ad Sixtum c. 6. n. 27. to. 2. (*m*) In Ps. 35. n. 4. to. 4. (*n*) In Ps. 35. n. 1. to. 4.



AR-

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Augustino omnis amor creaturæ rationalis vel sit amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis?

Videtur, quod ex S. Augustino omnis amor creaturæ rationalis vel sit amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; siquidem quæ hic fidelibus subjiciuntur oculis S. Doctoris testimonia, hic propositam propugnare videntur sententiam.

I. EPist. 231. ad Darium n. 6. to. 2. *Si desit pietas, & caritas, quid est ab illis, & a ceteris mundi malis tranquillitas & quies, nisi luxuriæ, perditionisque materies, sive invitamentum, sive adjumentum?*

II. Lib. 3. de Doctr. Christ. c. 10. n. 15. to 3. *Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.*

III. Lib. 3. de Doctr. Christ. c. 10. n. 16. to. 3. *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum, & corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur .... Item, quod agit caritas, quo sibi prosit, utilitas est: quod autem agit, ut prosit proximo, beneficentia nominatur .... Quanto autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur.*

IV. Serm. 72. c. 3. n. 4. to. 5. *Sit ergo unusquisque arbor bona: non se arbitretur habere fructus bonos, si manet arbor mala .... Muta cor, & mutabitur opus: extirpa cupiditatem, planta caritatem. Sicut enim radix est omnium malorum cupiditas; sic & radix omnium bonorum caritas.*

V. Lib. de Patientia c. 23. n. 20. to 6. *Hæc propter caritatem dicta sint, sine qua in nobis non potest esse vera patientia: quia in bonis caritas Dei est, quæ tolerat omnia; sicut in malis mundi cupiditas.*

VI. Lib 14. de Civit. Dei c. 28 to. 7. *Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet, amor sui usque ad contemptum Dei: cælestem vero, amor Dei usque ad contemptum sui.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; quandoquidem selectæ quædam S. D. sententiæ, neque enim omnes complexi sumus, quas hic in medium produeimus, id quod contendimus, invictissime evincunt.

I. Serm. 349. c. 2. n. 2. to. 5. *Licita est humana caritas, qua uxor diligitur .... Licitam ergo caritatem habete, humana est; sed ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo caritatis; sed videtis istam caritatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos? Hæc ergo humana est:* Jam vero ex S. Augustino deducitur, quod amor conjugis, filiorum, fratrum, amicorum, civium, non est amor inhonestus vitiosæ cupiditatis; quandoquidem ex S. D. amor hujusmodi non solum est ita licitus, ut concedatur, sed etiam ita licitus, ut si defuerit, reprehendatur: sed ex eodem S. Augustino neque est amor honestus theologicæ caritatis; siquidem ex S. D. amor hujusmodi amor est humanus communis piis atque impiis, fidelibus & infidelibus; quare ex S Augustino non omnis

omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

II. Eodem Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. *Amate filios vestros, amate conjuges vestras, etsi sæculariter. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis, & oderitis in vestris, si Christum habere noluerint. Ipsa enim est caritas illa divina. Nam quid eis proderit transitoria, & mortalis caritas vestra? Tamen quando & humanitùs diligitis, plus Christum amate. Non dico, ut non diligas uxorem; sed plus dilige Christum. Non dico, ut non diligas patrem: non dico, ut non diligas filios; sed plus dilige Christum.* Sed officiosus amor a S. Augustino laudatus, quo amantur filii, pater, uxores, etsi sæculariter, & humanitùs caritate transitoria & mortali, non autem divina, neque inhonestus est amor vitiosæ cupiditatis, neque amor honestus theologicæ caritatis; hinc ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

III. Lib. 1. contra Gaudentium c. 30. n. 35. to. 9. *Non est injustum homini justo optare mortem, quando amarissima est vita .... Sicut a Justo nec illud alienum est, ut optet vitam, quando amara mors imminet.* Quare infertur ex S. Augustino, quod amor mortis ad evitandam amarissimam vitam, & amor vitæ ad evitandam amaram mortem non est amor injustus, nec alienus ab homine justo, sed amor hujusmodi neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; ac proinde ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

IV. Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. *In ista colluvie morum pessimorum, & veteris perditæ disciplinæ, maxime venire ac subvenire debuit cælestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, benevolentiam, justitiam, atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, ceterasque vitæ luminosas, validasque virtutes; non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, nec tantum propter*

civi-

civitatis terrenæ concordissimam societatem; verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, & sempiterni cujusdam populi cælestem divinamque rempublicam, cui nos cives adscribit, Fides, Spes, Caritas. Atqui amor tum vitæ hujus honestissime transigendæ, tum concordissimæ societatis in terrena civitate tuendæ, tum sempiternæ salutis adipiscendæ, tum cælestis divinæque reipublicæ, ex sempiterno quodam populo constitutæ, obtinendæ, nos alliciens & acuens ad virtutes eas excolendas, quas e cælo nobis attulit Christus Dominus, neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque est inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; igitur ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

V. Lib. 14. de Civitate Dei c. 9. n. 1. 2. & 3. to. 7. *Apud nos juxta scripturas sacras, sanamque doctrinam, cives sanctæ Civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent: Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re.... gaudent in spe.... metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis..... Non solum autem propter seipsos his moventur affectibus; verum etiam propter eos, quos liberari cupiunt; & ne pereant, metuunt; & dolent, si pereunt; & gaudent, si liberantur.... Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea, quæ vere vitia sunt, virtutes vocentur.* Sed amor, quo sibi consulunt, atque provident justi, subjectosque animi affectus, metum videlicet, atque dolorem mali; & desiderium, atque gaudium boni ad suam referunt utilitatem, neque est amor honestus theologicæ caritatis; quia est amor concupiscentiæ: neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; quia rectus est ex Augustino amor; ergo ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

VI. In Ps. 79. n. 13. to. 4. *Itaque, fratres mei, ad omne rectè*

rectè factum amor, & timor ducit: ad omne peccatum amor, & timor ducit: ut facias bene, amas Deum, & times Deum: ut autem facias male, amas mundum, & times mundum. Hæc duo convertantur ad bonum: Amabas terram, ama vitam æternam: Timebas mortem, time Gehennam . . . Sicut omnia justa opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, & malo timore, omnia peccata committuntur. Sed bonus amor æternæ vitæ, quo ducimur ad recte facta, & quo justa opera fiunt, neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; quapropter ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

VII. Serm. 32. c. 14. n. 14. to. 5. *Si volumus bene vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quam quod promittit hic mundus: & plus timeamus, quod minatur Deus, quam quod minatur hic mundus.* Sed amor promissi nobis a Deo superni præmii, quo bene vivimus, neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; adeoque ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis vel est amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

VIII. In Ps. 63. n. 16. to. 4. *Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis: voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time. Ama, quod promittit Deus: time, quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo, quod promittit; nec terreberis ex eo, quod minatur homo.*

IX. Tract. 3. in Epist. primam Joan. n. 12. t. 3. *Minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias. Numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur Omnipotens: ama quod pollicetur Omnipotens; & vilescit omnis mundus sive promittens, sive terrens.* At vero amor immortalis illius, atque integerrimæ voluptatis, & pacatissimæ quietis ab omni labe vacuæ, quam nobis strenue certantibus, postquam hinc de-

mi-

migraverimus, Omnipotens Deus pollicetur, non est sanè amor theologicæ caritatis; siquidem amor hujusmodi ad concupiscentiam pertinet, quâ homo suis emolumentis, atque commodis prospicit; injunctosque sibi divinitûs labores suscipit sempiternæ voluptatis, quâ beatus evadat, adipiscendæ gratia: neque est inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; quandoquidem amor hujusmodi tanquam nobis a Deo propositus, adeoque tanquam omnibus honestatis numeris absolutus ab Augustino suadetur, cujus ope a fluxis, caducisque corporis voluptatibus avocamur; ac proindè ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

X. Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. *Si igne cæli non accenderis, ignem time Gebennarum; si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter Angelos diaboli, si non amas esse in Regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor Pædagogus sit, non ipse in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum perducat.* Conficitur ergò ex S. Augustino, quod amor cælestis patriæ, amor Angelicæ societatis, amor regni cælestis, qui *caritas* dicitur ab Augustino, a quo omnis amor supernus boni *caritas* appellatur, hujusmodi, inquam, amor non est amor honestus theologicæ caritatis: per hunc enim amorem seipsum respicit amans, propter seipsum expetit, atque ad seipsum refert superiora bona, quæ sibi amat; sed neque inhonestus est amor vitiosæ cupiditatis; quandoquidem hujuscemodi amor tanquam affectus ex omni parte honestus, timore honesto præstantior, perfectiorisque vitæ magister suadetur nobis ab Augustino; quamobrem ex S. Doctore non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

XI. Serm. 65. c. 7. n. 8. to. 5. *Illam mortem timentes, & illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt, & nobis celebranda illa solemnia reliquerunt.* Sed dilectio sempiternæ vitæ a Deo promissæ, cujus amore

amore Martyres vitam pro Christo fortiter profuderunt, & hanc ob caussam a Deo coronari meruerunt, neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis. Non amor honestus theologicæ caritatis; quia amor hujusmodi totus versatur circa sempiternam beatitatem, quæ est bonum amantis, quo bono amans ducitur & movetur ad commutandam pro Christo vitam cum morte: non inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; quia in hujus amoris præmium Martyres, ex S. Doctore, apud Deum coronari meruerunt. Itaque ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

XII. Lib. de Cathechiz. Rudibus c. 27. n. 27. to. 6. *Qui autem propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est.* Habemus igitur ex S. Augustino, quod amor sempiternæ felicitatis comparandæ, perpetuæque quietis adipiscendæ, regnique æterni possidendi cum Christo, est Infidelibus finis undequaque honestus ad repudiandam impiam superstitionem, veramque religionem profitendam; sed amor hujusmodi neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; adeoque ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

XIII. In Ps. 136. n. 15. to. 4. *Quidquid facis propter vitam æternam, dextera operatur; si caritati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus commodi sæcularis, cognovit sinistra tua, quia facit dextera tua.*

XIV. In Ps. 74. n. 7. to. 4. *Cupiditate enim inferiorum quisque peccat; sicut roboratur caritate superiorum.* Ex his habes S. Doctorem duos primarios affectus secum pugnantes, veluti duos adversos copiarum duces, more suo invicem contraponere, *Caritatem*, videlicet, atque *Cupiditatem*. Hæc

enim duo vocabula apud S. Doctorem latissimè patent, ac protenduntur: Siquidem *Caritas* ex S. Augustino quemcumque affectum honestum significat: *Cupiditas* quemlibet affectum inhonestum denotat; adeoque in hac latissima usurpatione ex omnibus affectibus, qui ad mores pertinent, nullus est medius affectus *Caritatem* inter, atque *Cupiditatem*. Omnis enim ordinatus amor superioris boni *Caritas* est apud S. Augustinum: & e contrario omnis amor inordinatus boni inferioris ex Sancto Doctore est *Cupiditas*. Jam verò amor æternæ vitæ, boni scilicet superioris non est caritas theologica, quæ pondere suo in Deum fertur, atque ex objecta nobis Dei bonitate excitatur; siquidem per amorem æternæ vitæ appetit sibi homo perpetuis perfrui voluptatibus, atque in sempiterna esse beatitate: Sed neque amor hujusmodi est vitiosa cupiditas voluptatum fluxarum, quæ sensus titillant, & ad eos cum suavitate affluentes atque illabentes humanos animos emolliunt, ac frangunt; quandoquidem ex S. Doctore amor superiorum bonorum adversus sensuum illecebras animi firmitatem parit, per quam animus erigitur, ac roboratur. Quamobrem ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

XV. Lib. de Gratia Christi c. 18. n. 19. to. 10. *Apostolus Paulus, cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem; unde si duæ arbores bona & mala duo sunt homines, bonus & malus: quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum, atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala*. Quamobrem ex S. Augustino caritas, radix bonorum omnium, est bona voluntas hominis, ex qua, veluti ex sua radice, omnium bonorum operum fructus erumpunt; sed non omnis hominis voluntas bona est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis. Si qui-

quidem ex S. Doctore Lib. de Patientia c. 25. n. 22. to. 6. Voluntas bona, sive ex amore Dei, sive ex timore sui, sive ex gaudio propriæ salutis, sive ex tristitia alienæ perditionis amara quæque & aspera sufferat, caritas Dei est, quæ omnia tolerat; adeoque apud S D. nomen caritatis, & bonæ voluntatis, præter theologicam caritatem, complectitur alios actus honestos a theologica caritate sejunctos. Ergo ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

XVI. Lib. 2. de Peccat. meritis & remiss. c. 18. num. 30. to. 10. *Quamquam voluntas mirum si potest in media quadam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona; si minus, minus bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo Justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* Sed dilectio Justitiæ, sive universalis, quæ virtutum omnium officia, tum quæ ad Deum, tum quæ ad proximum, tum quæ ad seipsum pertinent, in se complectitur: sive peculiaris, cujusmodi est Justitia commutativa, distributiva, vindicativa, non est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis. Neque enim ex S. Augustino omnis honestus amor justitiæ amor est Justitiæ Increatæ, cum ex S.D. honestus etiam sit amor Justitiæ creatæ, qualem proponit atque amplectitur S. D Lib. 83. Quæst. quæst. 31. n. 1. to. 6. per illa verba: *Justitia est habitus animi communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem.* Ex hac autem creatæ justitiæ dilectione reperit S D. honestam a perpetrando furto continentiam in Ps. 77. n. 10. to. 4. per hæc verba: *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur; & ideo pares sunt manu, dispares corde: pares opere, dispares*

voluntate .... Directo enim corde, recta sunt opera: Cum autem cor directum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur. Ergo ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino tranquillitas & quies in rebus secundis, non est nisi luxuriæ, perditionisque materies sive invitamentum, sive adjumentum in iis, in quibus deest Pietas, verus videlicet Dei cultus: & in iis, in quibus deest caritas, bona videlicet voluntas. Frequentissime enim S. D. nomen caritatis usurpat ad significandam quamlibet bonam voluntatem. Sic Lib. 15. de Trinit. c. 20. n. 38. to. 8. *Voluntas Dei si & propriè dicenda est aliqua in Trinitate Persona, magis hoc nomen Spiritui Sancto competit, sicut caritas. Nam quid est aliud caritas, quàm voluntas?* Et Lib. de Gratia Christi c. 21. n. 22. to. 10 *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quàm caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus.* Et Lib de Gratia & lib. arb. cap. 17. n. 33. tom. 10. *Quando Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna caritate fecerunt.* Et in Ps. 36. serm. 2. n. 13. to. 4. *Ipsa est caritas, quæ dicitur & voluntas bona.* Et Lib. 2 de Serm. Dom. in monte c. 22. n. 74. to. 3. *Voluntas namque non est nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis, cupiditas propriè dicitur, non voluntas.* Et Lib. de Gratia Christi c. 18. n. 19. to. 10 *Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem.... Quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ?*

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino non præcipit Scriptura nisi caritatem, bonam videlicet voluntatem, nec culpat nisi cupiditatem, malam videlicet voluntatem, & eo modo informat mores hominum: cum enim bona voluntas finem honestum respiciat; mala autem inhonestum; efficitur, ut

ut omnia bona hominum opera ex voluntate bona, & mala omnia hominum opera ex voluntate mala, veluti ex fonte, profluant; ac proinde hæc bona voluntas est regula morum, per quam mores hominum informantur. Quod autem S.D. frequentissime utatur nomine Caritatis ad significandam bonam voluntatem, satis superque constat ex productis S. Doctoris sententiis, in responsione ad primum: quibus adde testimonium ex l. 8. de Trinit. c. 10. to. 8. depromptum: *Quid est autem dilectio vel caritas, quam tantopere Scriptura divina laudat & prædicat, nisi amor boni?* Et lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. c. 9. n. 21. to. 10. *Quid est boni cupiditas, nisi caritas?*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino Caritas, seu quævis bona voluntas, est motus quo fertur animus ad quiescendum denique in Deum, tanquam in suum ultimum finem. Cupiditas autem, seu quævis mala voluntas, est motus quo fertur animus ad quiescendum denique in creaturam, tanquam in suum ultimum finem. Omnis enim bona voluntas suapte natura desinit tandem in Deum, in quo ultimato quiescit, neque ultra progreditur: sicut e contrario omnis mala voluntas suapte natura desinit tandem in creaturam, in qua ultimato quiescit, neque ultra progreditur. *Frui* etenim, quo verbo utitur S. D., apud ipsum perinde se habet, ac *quiescere in ultimo fine*. Sic enim habet superiore lib. 1. de Doctrina Christiana c. 4. n. 4. & c. 5. n. 5. to. 3. *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam: Uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum, referre; si tamen amandum est..... Sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino, si redire in Patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc mundo, non fruendum.... Ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna & spiritalia capiamus. Res igitur, quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea*. Denique eodem objecto Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 18. num. 27. tom. 3. hæc habet de usu licito polygamiæ in veteri testamento, & de abusu illicito monogamiæ in lege nova. *Si multis uxoribus castè uti quis-*

quisquam pro tempore potuit, potest alius una libidinosè. Magis enim probo multarum fœcunditate utentem propter aliud, quàm unius carne fruentem propter ipsam ..... Illi qui plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo & potu nonnisi salutem corporis; sic in concubitu nonnisi procreationem filiorum intuebantur. Atqui ex S. Augustino amor cibi & potus propter salutem corporis, & amor conjugalis concubitûs propter filios procreandos, neque est amor honestus theologicæ caritatis, neque inhonestus amor vitiosæ cupiditatis; ergo ex S. Augustino non omnis amor creaturæ rationalis est vel amor honestus theologicæ caritatis, vel inhonestus amor vitiosæ cupiditatis.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino caritas, radix bonorum omnium, nihil aliud est, quam bona voluntas, quæ omnia refert ad finem honestum: & e contrario cupiditas, radix malorum omnium, mala voluntas est, quæ fine inhonesto vitiatur. Quemadmodum enim ex bona radice non nisi mites fructus erumpunt, & ex mala radice non nisi agrestes gignuntur fructus; sic ex bona voluntate non nisi mites bonorum operum, & ex mala voluntate non nisi agrestes malorum operum fructus procreantur. Hanc esse mentem S. Doctoris compertum est ex Lib. de Gratia Christi c. 18. n. 19. to. 10. ubi habet quæ sequuntur. *Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem: unde si duæ arbores bona & mala duo sunt homines, bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala.* Quod autem ex S. Augustino nomine bonæ, vel malæ voluntatis accipiendus sit in citatis locis actus ipse vel bonus, vel malus; non autem potentia ipsa appetitiva bene, vel male disposita, constat ex consueta usurpatione voluntatis apud S. D. pro ipsomet actu ab anima elicito: Hinc lib. 1. Retract. c. 15. n. 3. to. 1. *Itemque alio loco ipsam volun-*

voluntatem definivi, dicens: Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Et ibidem n. 4. *Item definitio peccati, qua diximus: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Et lib. 5. Operis imperfecti sub num. 40. to. 10. *Motus animi quid est, nisi motus naturæ? Animus enim sine dubitatione natura est; proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino sine caritate, sine bona videlicet voluntate, in nobis non potest esse vera patientia, quia in bonis caritas Dei est, quæ tolerat omnia, voluntas videlicet studiosa boni: sicut in malis mundi cupiditas, voluntas videlicet studiosa mali. Quod autem apud S. Augustinum Dei caritas perinde se habeat ac bona quævis voluntas sive amore Dei, sive timore poenarum, sive cælestium bonorum spe, sive alienæ perditionis tristitia ducatur, patet ex objecto S. D. libro de Patientia c. 25. n. 22. to. 6. ubi ita se explicat S. Doctor. *Hæc igitur voluntas bona, idest, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris accensa, voluntas quæ diligit* Deum, *& proximum propter Deum; sive amore, de quo respondet Apostolus Petrus: Domine tu scis, quia amo te; sive timore, de quo dicit Apostolus Paulus: In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; sive gaudio, de quo dicit: Spe gaudentes, in tribulatione patientes; sive tristitia, qualem se dicit magnam habuisse pro fratribus suis, quæcumque amara & aspera sufferat, caritas* Dei *est, quæ omnia tolerat.*

Ad sextum dicendum, quod ex S. Augustino constituerunt civitates duas amores duo: terrenam, cætum videlicet reproborum omnium, amor sui usque ad contemptum Dei, idest, amor sui plusquam Dei: cælestem vero, cætum videlicet prædestinatorum omnium, amor Dei usque ad contemptum sui, idest, amor Dei plusquam sui. Ex hoc autem minime efficitur ut terrenæ Reipublicæ cives momentis singulis non in alios actus erumpant, quam in amorem sui plusquam Dei: & cælestis Reipublicæ cives momentis singulis non in

alios.

altos actus erumpant, quam in amorem Dei plusquam sui. Sed utrique ita sunt animo comparati, ut quoties eligendi necessitas sese obtulerit, impii reprobi præferant voluntatem suam voluntati Dei: Justi autem prædestinati præferant voluntatem Dei voluntati suæ. Quæ autem sint civitates hujusmodi, terrena, & cælestis, explicat S. Doctor sequenti libro 15. de Civit. Dei c. 1. n. 1. to. 7. his verbis: *Quas etiam mystice appellamus Civitates duas, hoc est, duas societates hominum, quarum est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera æternum supplicium subire cum diabolo.* Neque utriusque civitatis tesseram in duplici tantum opposito amore S. Doctor constituit; sed alia etiam discrimina subjicit lib. 14. de Civitate Dei c. 28. to. 7. sic enim de utraque civitate prosequitur, terrena videlicet, & cælesti. *Illa quærit ab hominibus gloriam: huic autem Deus conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum: hæc dicit Deo suo, gloria mea & exaltans caput meum. Illi in principibus ejus, vel in eis quas subjugat nationibus, dominandi libido dominatur: in hac serviunt invicem in caritate & præpositi consulendo, & subditi obtemperando. Illa in suis potentibus diligit virtutem suam: hæc dicit Deo suo:* Diligam te, Domine, *virtus mea; ideoque in illa sapientes ejus secundum hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona, aut utriusque sectati sunt.... In hac autem nulla est hominis sapientia, nisi Pietas, qua recte colitur verus Deus, id expectans præmium in societate Sanctorum, non solum hominum, verum etiam Angelorum, ut sit Deus omnia in omnibus.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Non est injustum homini justo optare mortem, quando amarissima est vita; sicut a Justo nec illud alienum est, ut optet vitam, quando amara mors imminet.* (b) Similiter *licita est humana caritas, qua uxor diligitur, licitam ergo caritatem habete; humana est, sed, ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita, ut si defue-*

defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo caritatis; sed videtis istam caritatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos. Hæc ergo humana est. (c) Nihilominus *amate filios vestros, amate conjuges vestras, etsi sæculariter. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis, & oderitis in vestris, si Christum habere noluerint. Ipsa enim est caritas illa divina. Nam quid eis proderit transitoria & mortalis caritas vestra? Tamen quando & humanitus diligitis, plus Christum amate. Non dico ut non diligas uxorem, sed plus dilige Christum. Non dico, ut non diligas Patrem. Non dico ut non diligas filios, sed plus dilige Christum.* (d) *Quare si volumus bene vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus: & plus timeamus, quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus.* (e) *Itaque, fratres mei, ad omne rectè factum amor & timor ducit: ad omne peccatum amor & timor ducit: ut facias bene, amas Deum, & times Deum: ut autem facias male, amas mundum, & times mundum. Hæc duo convertantur ad bonum: Amabas terram, ama vitam æternam: Timebas mortem, time gehennam. Sicut omnia justa opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, ac malo timore omnia peccata committuntur.* (f) *Mortem* igitur *sempiternam time, & præsentem non curabis: voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo & time: ama quod promittit Deus: time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo, quod promittit; nec terreberis ex eo, quod minatur homo.* (g) Exempli gratia, *minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias: Numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur Omnipotens: ama quod pollicetur Omnipo-*

nipotens; & vilescit omnis mundus sive promittens, sive terrens. (h) Quod si igne Cæli non accenderis, ignem time gehennarum; si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter Angelos diaboli; si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor: timor pædagogus sit, non ipse in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum, perducat. (i) Sic cives Sanctæ Civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent: Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re, gaudent in spe, metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis: non solum autem propter seipsos his moventur affectibus, verumetiam propter eos, quos liberari cupiunt; & ne pereant, metuunt; & dolent, si pereunt; & gaudent, si liberantur. Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, ut ea, quæ vitia sunt, virtutes vocentur. (k) Hac ratione in ista colluvie morum pessimorum, & veteris perditæ disciplinæ maxime venire, & subvenire debuit cœlestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, benevolentiam, justitiam, atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, ceterasque vitæ luminosas, validasque virtutes, non tantum propter istam vitam honestissimè gerendam, nec tantum propter Civitatis terrenæ concordissimam societatem; verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, & sempiterni cujusdam populi cœlestem divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit Fides, Spes, Caritas. (l) Qui ergo propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est. (m) Sic illam mortem timentes, & illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt, & nobis cele-

celebranda illa solemnia reliquerunt. (n) *Quidquid* igitur *facis propter vitam æternam, dextera operatur. Si caritati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus commodi sæcularis, cognovit sinistra tua, quid faciat dextera tua*. (o) *Cupiditate enim inferiorum quisque peccat, sicut roboratur caritate superiorum*. (p) *Cum* enim *Apostolus Paulus dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem. Unde si duæ arbores bona & mala duo sunt homines, bonus & malus: quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala*. (q) *Voluntas* enim *mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim Justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona; si minus, minus bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo; restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo*. Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) L. 1. contra Gaudentium c. 30. n. 35. to. 9. (*b*) Serm. 349. c. 2. n. 2. to. 5. (*c*) Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. (*d*) Serm. 32. c. 14. n. 14. to. 5. (*e*) In Ps. 79. n. 13. to. 4. (*f*) In Ps. 63. n. 16. tom. 4. (*g*) Tract. 3. in Epist. 1. Joannis n. 12. tom. 3. (*h*) Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. (*i*) L. 14. de Civ. Dei c. 9. n. 1. 2. & 3. to. 7. (*k*) Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. (*l*) Lib. de Cathechiz. rudibus c. 27. n. 27. to. 6. (*m*) Serm. 65. c. 7. n. 8. to. 5. (*n*) In Ps. 136. n. 15. to. 4. (*o*) In Ps. 74. n. 6. to. 4. (*p*) L. de Gratia Christi c. 18. n. 19. to. 10. (*q*) L. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 18. n. 30. to. 10.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Augustino omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, sit inhonestus atque vitiosus?

Videtur, quod ex S. Augustino omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, sit inhonestus atque vitiosus; subjectis enim circumsepta sententiis proposita definitio ita fulciri videtur.

I. LIb. 1. de moribus Ecc. Cath. c. 15. n. 25. to. 1. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut Temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur: Fortitudo amor facile tolerans omnia, propter quod amatur: Justitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: Prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, idest, Summi Boni, Summæ Sapientiæ, Summæque Concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum, incorruptumque servantem: Fortitudinem amorem omnia propter Deum facile perferentem: Justitiam amorem Deo tantum servientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini subjecta sunt: Prudentiam amorem bene discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis, quibus impediri potest.*

II. Epist. 167. ad Hieron. c. 4. n. 15. to. 2. *Ut generaliter, breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet. Virtus est caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis minor, in aliis major, in aliis nulla est.*

III. Epist.

III. Epist. 186. ad Paulinum c. 3. n. 7. to. 2. *Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent caritatem, quæ sola verè benè operatur, isti Fratres nostri, qui multum de suis operibus gloriantur.*

IV. Tract. 7. in Epist. 1. Joannis n. 8. to. 3. *Videte, quid commendamus, quia non discernuntur facta hominum, nisi de radice caritatis: nam multa fieri possunt, quæ speciem habent bonam, & non procedunt de radice caritatis; habent enim & spinæ flores: quædam vero videntur aspera, videntur truculenta, sed fiunt ad disciplinam, dictante caritate. Semel ergò breve præceptum tibi præcipitur:* Dilige, *& quod vis fac. Sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice, nisi bonum existere.*

V. In Ps. 89. n. 17. to. 4. *Omnia bona opera nostra unum opus est caritatis: plenitudo enim legis caritas .... Tunc enim recta sunt opera, cum ad hunc unum finem diriguntur. Finis enim præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Opus ergo unum est, in quo sunt omnia:* Fides *quæ per dilectionem operatur.*

VI. Lib. 2. contra Crescon. c. 12. n. 15. to. 9. *Caritas cooperit multitudinem peccatorum, quæ una si adsit, omnia illa recte fiunt; si autem desit, illa omnia frustra fiunt.*

VII. Lib de Gratia Christi c. 26. n. 27. to. 10. *Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur; quia omne, quod non ex fide est, peccatum est: & fides per dilectionem operatur.*

VIII. Lib. 4. contra Julian. c. 3. n. 33. to. 10. *Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis: Sine hoc amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis; hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis.*

IX. Lib. de Gratia, & lib. arb. c. 18. n. 37. to. 10. *Hæc omnia præcepta dilectionis, idest, caritatis, quæ tanta, &*

talia

talia sunt, ut quidquid se putaverit homa facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene.

X. Lib. 3. Operis imperfecti n. 122. to 10. *Inter divinæ gratiæ species siponeretis dilectionem.... sine qua nemo pie vivit; & cum qua nemo nisi pie vivit: sine qua nullius est bona voluntas; & cum qua nullius est nisi bona voluntas, vere liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est vitiosus & inhonestus. Siquidem quæ multitudine, gravitate, & perspicuitate celebriores S. Doctoris hic subjiciuntur sententiæ, benigniori definitioni litem adjudicant.

I. Serm. 51. c. 14. n. 24. to. 5. *Illos ad mensam non ducit, nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam, & potum. Illi autem, qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt, ut comedant; sed ideo comedunt, ut vivant. Itaque istis prudentibus, & temperantibus si offerretur, ut sine cibo, & potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quò cadere non consueverunt, nec descendere cogerentur?*

II. Lib. 10. Confessionum c. 31. n. 44. to. 1. *Cum salus sit caussa edendi, & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus caussa fiat, quod salutis caussa me facere vel dico, vel volo.*

III. Lib. 22. contr. Faustum c. 44. to. 8. *Lex æterna..... cibum & potum ad ordinem naturalem, non nisi gratia conservandæ salutis admittit.*

IV. Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 67. to. 10. *Alimentorum sustentaculis indigemus: si suavia non sint, quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur; & perniciosa sunt cavenda fastidia. Non solum ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem; sed propter tuendum salutem.*

Ex

Ex his efficitur, quod apud S. Augustinum comedendi voluntas, cibi potúsque cupiditas, epularum usus suaviorum etiam, & sapidiorum ex officio vivendi, quo non ideo vivimus ut comedamus; sed ideo comedimus ut vivamus, tuendæ ac retinendæ valetudinis gratiâ, & ad præcavenda ea fastidia, quæ forent valetudini perniciosa, hujusmodi, inquam, actus non sunt vitiosi, nec inhonesti: Siquidem qui hoc animo, & voluntate vescuntur, tanquam viri prudentes, & temperantes ab Augustino laudantur, quorum vivendi rationem, ex S. Doctore, Lex æterna approbat, & ratam habet: Sed neque actus hujusmodi sunt ex theologicæ caritatis motivo; quia continentur intra prudentiæ, & temperantiæ limites, quos non excedunt: nec caritatis theologicæ, a quà longè absunt, fines attingunt, quod certum, perspicuum, atque exploratum est. Fatendum est igitur, quod ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

V. Serm. 51. c. 15. n. 25. to. 5. *Illi priores Sancti homines Dei filios quærebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum jungebantur fœminis, ad hoc fœminis miscebantur, ut filios procrearent. Ideo illis permissum est, ut plures haberent.*

VI. Lib. de peccat. originali c. 38. n. 43. to. 10. *Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ caussâ procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus.*

VII. Lib. de bono viduitatis c. 8. n. 11. to. 6. *Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus. Etiam ipsum tamen laudabilius transcendit, & vincit cœlestia cogitans animus Christianus.*

VIII. Lib. 22. contra Faustum c. 61. to. 8. *Consulta quippe æterna Lex illa, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, non nisi propagationis caussa statuit hominis concubitum fieri; & hoc non nisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis.* Quapropter conjugalis concubitûs amor, voluntas, & usus, intra naturæ fines contentus,

fer-

servatoque ordine naturali, cui, propter liberos procreandos, & suscipiendæ prolis, humanæque propagationis gratiâ, dant operam conjuges, non sunt sane actus, qui ex theologicæ caritatis motivo proficiscantur: Sed neque sunt actus inhonesti & vitiosi; quandoquidem ex S. Augustino usus hujusmodi propter seipsum prorsus est bonus: amor ille non est in homine improbandus affectus: & Lex æterna propagationis causâ, & socialiter ordinato connubio, conjugales hominum constituit, atque sancivit concubitus: & hac de causâ priores Sancti homines Dei in veteri testamento pluribus fœminis, quod ea tunc tempora non reprobabant, honeste ac licitè ad multiplicandam sobolem utebantur. Itaque ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

IX. Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 65. to. 10. *Utilitas sentiendi est, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel rejiciendum, appetendum vitandumve consulimus.... Libido autem sentiendi est, ... quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnali voluptatis impellit.* His positis duo hic S. Doctor sapienter discriminat, fœdam, videlicet, sentiendi libidinem, & honestam sentiendi utilitatem. Illa ex inhonestæ voluptatis appetitu excitatur: hæc ex voluntate sobria consulendi corporis vitæque, quam gerimus, utilitati proficiscitur. Primam tanquam inhonestam, & effrenatam Augustinus reprobat, atque vituperat: alteram tanquam honestam, & sobriam probat, atque commendat. Sed sobria & prudens voluntas consulendi corporis vitæque, quam gerimus, utilitati, ex theologicæ caritatis motivo non procreatur: siquidem non ad theologicam erga Deum caritatem; sed ad moralem erga seipsum prudentiam pertinet; quamobrem ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

X. Eodem lib. 4. contra Julianum c. 14 num. 66. to. 10. *Quando molesta vitantur, ut pudores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & gravia, commoditatis pro-*

provisio, non libido est voluptatis. Ea vero, quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris, laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione, cum præsto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine. Quapropter ex S. Augustino concluditur, quod odium, quo ea vitantur, quæ sensus nostros olfactûs, gustûs, tactûs acriter vellicant, uti sunt corpora maleolentia, amara, aspera, hisque similia; & e contrariò amor, quo ea appetuntur, quæ sensus nostros olfactûs, gustûs, tactûs blande titillant, ut sunt corpora suaveolentia, dulcia, mollia, hisque similia, hujusmodi, inquam, affectus, si propter tuendam corporis valetudinem, declinandamque doloris, laborisve molestiam concipiantur, non sunt affectus vitiosi, neque inhonesti; siquidem ex S. Doctore recensiti affectus non sunt illicitæ voluptatis fæda libido, sed licitæ commoditatis cauta provisio; sed neque ex theologicæ caritatis impulsu affectus hujusmodi eliciuntur, ut est per se manifestum; quare ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XI. Lib. de Patientia c. 26. n. 23. & c. 27. n. 24. & 25. to. 6. *Siquis non habens caritatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritûs, & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, & ignis æterni: nullo modo ista culpanda sunt; immò vero & hæc laudanda patientia est. . . . Sed merita quæri potest, utrum & ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque ab Ecclesia separatus, non pro errore, qui cum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu verbi, quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales? . . . . Proinde sicut negandum non est, hoc esse donum Dei; ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum*

libera est mater nostra .... Alia vero, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & Schismatici, vel Heretici comparantur. Hinc ex S. Augustino consequitur, quod donum Dei, virtus, & laudanda patientia ea est, quâ schismaticus caritate vacuus, & ab Ecclesia profugus, ne Christum neget, acerba quæque, aspera, immania, extremumque supplicium fortiter tolerat, gehennarum, ignis æterni, pœnarumque sempiternarum timore perculsus; ac proindè ex S. Doctore actus, qui ex hic laudanda patientia prodeunt, non sunt actus vitiosi, neque inhonesti; sed neque actus hujusmodi intra fines theologicæ caritatis continentur, a qua virtute omnium excellentissima schismaticus ex S. Doctore est longè dissitus, atque remotus. Itaque ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XII. Lib. de Sancta Virginitate c. 38. n. 39. to. 6. *Timor quidem non est in caritate; sed perfecta, sicut scriptum est, caritas foras mittit timorem: sed timorem hominum, non Dei: timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time severitatem...... Si non amas, time, ne pereas; si amas, time, ne displiceas.... Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii.* Quamobrem timor Dei, timor divini in fine judicii, timor severitatis divinæ, servilis timor ne pereas, longè inferior filiali timore ne displiceas, timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est perfectæ caritatis, hujusmodi, inquam, timor, tam varia ubertate verborum a S. Augustino expressus, tanquam magnopere utilis ad continendos in officio homines, eosque a pravis libidinibus avocandos apprimè idoneus a S. Doctore proponitur, consulitur, suadetur; ac proindè ex S. Augustino timor hujusmodi non est affectus vitiosus, neque inhonestus. Rursus, timor hujusmodi non est affectus, quem theologica caritas pariat, cum quâ nulla est cognatione copulatus; siquidem timor ille

ille a S. Augustino descriptus, non est timor filiorum, ne Patri amato displiceant; sed servorum est timor, ne ab irato Domino pereant: timor est ignis æterni, Augustinus inquit, propter quem devitandum Deo servire nondum est caritatis perfectæ. Quæ cum ita sint, ex S. Augustino conficitur, quod non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XIII. Epist. 263. ad Sapidam n. 3. to. 2. *Non quidem succensendum est de caris mortuis dolori mortalium, sed diuturnus dolor non debet esse fidelium; si ergo contristata es, jam sit satis, nec sic contristeris, quemadmodum gentes, quæ spem non habent: Non enim contristari prohibuit Paulus Apostolus, cum hoc diceret, sed sic contristari, quemadmodum gentes, quæ spem non habent. Nam & Martha, & Maria piæ sorores & fideles resurrecturum suum fratrem Lazarum flebant, quamvis eum tunc ad hanc vitam rediturum esse nescirent: & ipse Dominus eumdem, quem fuerat resuscitaturus, Lazarum flevit, nimirum ut fleamus etiam nos eos mortuos, quos ad veram vitam resurrecturos credimus, & si non jussit præcepto, concessit exemplo.* Demonstratur igitur ex S. Augustino, quod mœror, dolor, & luctus de caris mortuis, nisi ægritudinis, atque diuturnitatis modum excedat, neque plus quàm par est animum excruciet, atque sollicitet, non est affectus vitiosus, neque inhonestus; siquidem ex S. Doctore Apostolus Paulus non interdixit luctum pro mortuis aliquo necessitudinis vinculo nobis conjunctis; sed, ne instar Infidelium, sine ulla futurarum rerum expectatione meliorum, diuturno abjectoque conficeremur angore, prohibuit. Rursus ex S. Augustino Martha, & Maria piæ sorores fratris Lazari interitum honestè fleverunt: & Christus Dominus exemplo suo honestatem sobrii doloris de amicorum jactura comprobavit, quando amici sui Lazari funus decoris lacrymis est prosecutus. Jamvero affectus hujusmodi non ex theologica caritate, sed ex humana benevolentia, tanquam ex naturali Parente gignuntur; ac proindè ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XIV. Lib. 2 de moribus Manichæorum c. 13. n. 28. to. 1. *Possunt & Catholici Christiani vestram a vino & carnibus abstinentiam jumentis, & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare; sed, ne in vestram incidam temeritatem, non id præproperè faciam, sed discutiam primo, quo ista fine faciatis. Jam enim constat inter nos, ut opinor, hujuscemodi moribus, nihil aliud esse quærendum. Si ergo parcimoniæ gratia, & coërcendæ libidinis, qua escis talibus & potu delectamur, & capimur, audio, & probo.* Ex recitata sententia hæc Augustinianæ Moralis regula constituitur, videlicet: In iis, quæ ad pravos, rectosque mores pertinent, nihil aliud quærendum est, quam finis, ad quem benè vivendi, rectèque faciendi consilia nostra referuntur. His positis, inquirit hic Augustinus utrum a vino, & carnibus abstinentia, quam adeò gloriosè Manichæi ostentabant, virtus fuerit, an vitium? Propositamque quæstionem hac dirimit definitione. Si parsimoniæ, & coercendæ libidinis gratiâ a vino, & carnibus abstinent Manichæi, abstinentia hujusmodi virtus laudanda est, atque probanda; ac proinde ex S. Augustino non est actus vitiosus, neque inhonestus; sed neque actus est, quem genitrix theologica caritas, sed quem mater temperantia moralis effuderit, ut per se patet. Quamobrem ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XV. Epist. 167. ad Hieronymum c. 3. n. 10 to. 2. *Ego vero nescio, quemadmodum dicam.... Mulierem, quæ viro suo servat thori fidem, si hoc faciat propter præceptum, & promissum Dei, eique primitùs sit fidelis, non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam, vel parvam esse virtutem; sic & maritum, qui hoc idem servat uxori.... Unde pudicitia conjugalis in viris, fœminisque religiosis, cum procul dubio virtus sit; non enim aut nihil, aut vitium est, non tamen secum habet omnes virtutes.* Ex superiori S. Augustini sententia obtinetur, quod Pudicitia conjugalis, qua Christiani conjuges propter præceptum, & promissum Dei, mutuam sibi fidem

fidem thori nuptialis servant, virtus, & magna virtus est, teste Augustino; ac proinde actus, qui ex hac virtute proficiscuntur, non sunt actus vitiosi, neque inhonesti: Sed neque in theologicæ caritatis familia censentur; quia theologica caritas non propter Dei præceptum, quod pertinet ad obedientiam. nec propter Dei promissum, quod ad spem pertinet, sed propter Dei bonitatem concipitur, atque excitatur. Itaque ex S Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XVI. Tract. 6. in Epist. Joannis n. 3. to. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: nisi quia dextera, pura conscientia est, sinistra, mundi cupiditas. Multi per cupiditatem mundi multa mira faciunt: sinistra operatur, non dextera: dextera debet operari, & nesciente sinistra, ut nec misceat se cupiditas sæculi, quando aliquid boni dilectione operamur: Et ubi hoc cognoscimus? Ante Deum est: Interroga cor tuum. Vide, quid fecisti, & quid ibi appetisti? Salutem tuam; an laudem hominum ventosam? Intus vide.* Quamobrem ex producto S. Augustini testimonio eruitur, quod ab omni labe & piaculo pura atque integra conscientia est, quando immortalis boni dilectione, & sempiternæ salutis adipiscendæ gratià aliquid operamur: Sed comparandæ sibi sempiternæ salutis amor non est sanè filius theologicæ caritatis, quæ ad Deum omnia refert; sed ex morali prudentia, inferioris subsellii virtute, quæ sibi prospicit, amor hujusmodi procreatur. Rursus, non est actus vitiosus & inhonestus; siquidem ex S Doctore amor hujusmodi ex pura conscientia, tanquam ex fonte nitido erumpit. Quare ex S. Augustino concluditur, quod non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

XVII. Tract. 8. in Epist. Jo. n. 1. to. 3. *Opera misericordiæ, affectus caritatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt .... Intus sunt omnes istæ virtutes, quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est Imperatoris, qui*

sedet

sedet intus in mente tua. Quomodo enim Imperator per exercitum suum agit quodque placet; sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, idest, in mente per fidem, utitur istis virtutibus, quasi ministris suis.

XVIII. Serm. 21. n. 8. to. 5. *Jucundare in iis, quæ jussit Dominus, ut jucunderis in Domino: Jucundare in Fide, jucundare in Spe, jucundare in Caritate, jucundare in Misericordia, jucundare in Hospitalitate, jucundare in Castitate. Hæc omnia bona sunt thesauri interioris hominis, gemmæ non arcæ tuæ, sed conscientiæ tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere; unde si nudus exieris, plenus eris.*

XIX Serm. 150. c. 8. n. 9. to. 5. *Est virtus animi res laudabilis: Prudentia, malo & bona discernens: Justitia, sua cuique distribuens: Temperantia, libidines cohibens: Fortituda, molestias æquanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res.* Jam vero ex allegatis S. Augustini placitis evincitur, plurimas esse Christianas virtutes instar exercitûs, copia & multitudine militum insignis; vel instar thesauri opulentissimi, plurimis diversi generis gemmis redundantis, quarum virtutum & nomina, & munera S. Doctor commemorat. Hujusmodi sunt Fides, Spes, Caritas, Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, Pietas, Misericordia, Castitas, Sobrietas, Hospitalitas. Item peculiares singularum virtutum rationes, & munera, quibus nituntur, atque in diverso genere constituuntur, Augustinus expendit, atque designat: sic ex S. Doctore munus Prudentiæ est, bona & mala discernere: Justitiæ, sua cuique tribuere: Temperantiæ, libidines cohibere: Fortitudinis, molestias æquo animo sustinere. His positis, finge tibi omnem actum, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, esse vitiosum, & inhonestum, hoc dato, statim consequitur, omnem actum honestum ex theologicæ caritatis motivo emanare; ac proinde nullam aliam esse Christianam virtutem, præter caritatem. Quod si admiseris, copiosus ille Christianarum virtutum exercitus ab Augustino descriptus, protinus evanescit, sola caritate superstite: neque de tanto virtutum numero aliud quidpiam remanet, quàm vacua & inania virtutum nomina, soli-

solidis virtutum rationibus è medio sublatis. Illa autem Augustiniana partitio, ac distributio virtutum, quâ in sua quæque genera Christianæ virtutes discriminantur, tota fatiscit, atque collabitur; siquidem virtutes omnes ad unum genus pertinent theologicæ caritatis, omnes caritate theologica continentur, omnes sola caritate nituntur, omnes suam originem repetunt a caritate, omnes ab unius caritatis impulsu excitantur. Hæc autem a S. Augustini mente, sententia, ac disciplina, tanquam absurda & absona, prorsus discrepant, atque abhorrent. Quamobrem ex S. Augustino non omnis actus, qui non est ex theologicæ caritatis motivo, est actus vitiosus, & inhonestus.

Ad primum ergo dicendum, quod S. Doctor loco citato non definit quatuoc virtutes, quas vulgo dicimus *Cardinales*, quales in homine etiam Infideli, a Deo summo & optimo hominis bono aberrante, esse possunt; sed quales hominem pium, atque fidelem ad consequendum summum, & optimum hominis bonum, Deum videlicet, certo certius perducunt. Tunc enim non possunt esse a caritate sejunctæ. Dixerat enim cap. 14. numero superiore 24. *Non arbitror, cum de moribus & vita sit quæstio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit .... Nihil aliud quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, caritate.* Mox sequenti numero 25. hæc è vestigio adjungit: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Ceterum cum S. D. easdem quatuor virtutes intra limites proprii cujusque ordinis, atque generis conclusas definit, longè aliter loquitur. Sic Serm. 150. c. 8. n. 9. to. 5. *Est virtus animi res laudabilis: Prudentia, mala & bona discernens: Justitia, sua cuique distribuens: Temperantia, libidines cohibens: Fortitudo, molestias æquanimiter sustinens: Magna res, laudabilis res.*

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino virtus in genere, quatenus peculiares virtutes omnes in se complectitur,

ditur, est caritas, videlicet, amor boni, seu honestatis universalis, consentaneæ rectæ rationi, qua caritate id, quod diligendum est, diligitur. Hac caritate peculiares omnes honestates, quæ in virtutibus singulis continentur, sive quæ ad Deum, sive quæ ad mores pertinent, diliguntur. Quod autem nomen *Caritatis* S. Augustinus non infrequenter usurpet ad significandum universalem amorem boni, patet ex lib. 8. de Trinit. c. 10. n. 14. to. 8. ubi sic caritatem definit. *Quid est autem dilectio, vel caritas, quam tantopere Scriptura divina laudat, & prædicat, nisi amor boni?*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino disputante adversus Pelagianos, sola caritas vere bene operatur: ceteræ enim virtutes a caritate sejunctæ, licet bene operentur, non tamen vere bene operantur; siquidem sine caritate sempiternam salutem consequi minimè valent. Hæc enim loco citato S. Doctor adjungit: *Proinde in iis, qui per electionem gratiæ salvi fiunt, adjutor Deus operatur & velle, & operari pro bona voluntate: quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si omnia, utique & ipsam dilectionem, quam fide impetramus, ut eum, qui nos prior dilexit, ut in illum crederemus, per ejus gratiam diligamus, & diligamur, qui operati non sumus.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino non discernuntur facta hominum, quæ hominibus impenduntur, nisi de radice caritatis, humanæ videlicet benevolentiæ, quod satis aperiunt superiora verba S. Doctoris. Hæc enim habet loco citato: *Invenimus sævientem hominem factum de caritate: & blandum factum de iniquitate. Puerum cædit Pater; & Mango blanditur. Si duas res proponas, plagas, & blandimenta; quis non eligat blandimenta, & fugiat plagas? Si personas attendas, caritas cædit, blanditur iniquitas. Videte quid commendamus; quia non discernuntur facta hominum, nisi de radice caritatis.* Non est ergo ibi sermo de caritate divina, sed de humana benevolentia, cujus finis præ oculis est habendus, priusquam sententia feratur de honestate officiorum, quæ exhibentur hominibus.

Ad

Ad 5. dicendum, quod ex S. Augustino *omnia bona opera nostra unum opus est caritatis*, bonæ videlicet voluntatis, quæ in suis operibus nequaquam finem sibi proponit consequendi bona terrena & caduca, sed cælestia atque immortalia. Illud erat in more positum apud homines veteris testamenti: Hoc solenne est apud homines testamenti novi. Hæc enim adjungit S. Doctor loco citato. *Cum ergo in iste Psalmo, & vita vetus, & vita nova.... satis aperteque distincta sint: Ad hoc existimo hominis Dei Moysi nomen titulo ejus inscriptum, ut eis, qui piè relèque sciutantur Scripturas, ea modo intimaretur etiam legem Dei, quæ per Moysen ministrata est, ubi pro bonis operibus sola vel penè sola præmia terrenorum bonorum Deus polliceri videtur, sine dubio habere sub velamenta tale aliquid, quale iste Psalmus ostendit. Sed cum quisque transierit ad Christum, auferetur velamen, & revelabuntur oculi ejus, ut consideret mirabilia de lege Dei.*

Ad 6. dicendum, quod ex S. Augustino si desit Caritas ergà proximum, & quidem *habitu*, ut ajunt, quæ utique decrat Schismaticis Donatistis, contra quos ibi dimicat Augustinus, omnia bona in speciem opera frustra sunt. Sic enim ibi S. Doctor concludit: *Unde merito creduntur, qui extra Ecclesiam baptismum Ecclesiæ perceperunt, non habere Spiritum Sanctum, nisi eum ipsi Ecclesiæ, unico pacis per connexionem caritatis, adhæreſcunt.*

Ad 7. dicendum, quod ex S. Augustino sino non est dilectio, bona videlicet & superna voluntas, nullum bonum opus imputatur ad consequendam æternam salutem idoneum, nec recte bonum opus vocitur, *quod*, videlicet, *ad pietatem pertineat, veramque justitiam*, ut ibidem affirmat: quia omne, quod non est ex fide operante per dilectionem, per bonam videlicet voluntatem supernam, quoad æternam salutem adipiscendam, non majoris est efficacitatis, quàm si peccatum esset. Quamobrem S. Doctor loco citato nomen *caritatis & dilectionis* usurpat ad significandam bonam voluntatem, sempiternæ meritum beatitatis, quam voluntatem solius arbitrii liberi fructum esse contendebat Pelagius: solamque cognitio-

nem, hoc est legis scientiam, donum Dei esse affirmabat. Sic enim Pelagium Augustinus hortatur loco in objectione allegato: *Cognitionem & dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat. Quia scientia inflat, caritas ædificat; & tunc scientia non inflat, quando caritas ædificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus; non sic justitiam nostram super laudem Justificatoris nostri extollat, ut horum duorum, quod minus est, divino tribuat adjutorio; quod autem majus est, humana usurpet arbitria.*

Ad 8. dicendum, quod ex S. Augustino sine amore Creatoris, quo tum actu, tum habitu destituti sunt Infideles, de quibus ibi loquitur S. D., nullis quispiam bene utitur creaturis, usu perducente hominem ad sempiternam felicitatem. Dixerat enim superius adversus Julianum. *Aut certe quoniam saltem concedis opera Infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere. Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.... Dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit, quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc, non bonæ.* Ceterum S. Doctor loco in objectione allegato, non deturbat ab honestarum virtutum choro actus omnes, qui non sunt ex theologicæ caritatis motivo, sic enim prosequitur: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis. Si autem vicerit, & propter seipsam, non propter filios propagandos, fieri aliquid extorserit & voluptas, veniale peccatum sit propter nuptias Christianas.*

Ad 9. dicendum, quod ex S. Augustino quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat exclusivè sine caritate Dei & proximi, per hoc, quod fiat contra caritatem Dei & proximi, nullo modo fit bene. Quod si fiat sine caritate Dei & proximi per merum defectum hujusmodi caritatis, tunc si de-

fectus

fectus hujusmodi fuerit defectus caritatis habitualis, procul dubio nullo modo fit bene, bonitate operis ad æternum Dei donum regnumque hominem perducentis, ut supra ex Augustino docuimus. Si autem defectus hujusmodi fuerit defectus solius divinæ caritatis actualis, tunc ex aliarum virtutum impulsu fit bene, quidquid se putaverit homo facere bene. Siquidem loco citato n. 39. hæc de Dei timore S. Doctor declarat. *Ne non arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum... Non quo timore Petrus Christum negavit; sed illum timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: Eum timete, qui habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.*

Ad 10. dicendum, quod ex S. Augustino sine habituali dilectione nemo pie vivit, nullusque est bona voluntas. Rursus sine virtuali dilectione (qualis ex S. Augustino supracitato, est quævis superna boni cupiditas, quivis boni supernus amor, quivis supernus affectus) nemo pie vivit, nullaque est bona voluntas. Postremo sine formali dilectione Dei super omnia, urgente præcepto de hac dilectione elicienda, nemo pie vivit, nullaque est bona voluntas. Etenim Pelagiani non aliam admittebant Dei gratiam præter eam, quæ vel ad ordinem naturæ pertineret, vel esset quid homini extrinsecum. Hujusmodi apud illos erat natura hominis instructa ratione, liberum nostræ voluntatis arbitrium, externa lex, sacra doctrina, atque evangelica prædicatio, Christi Domini exemplum, atque peccatorum remissio. Dilectionem autem seu caritatem, in quavis usurpatione acceptam, Dei donum esse negabant, eamdemque solius naturæ viribus tribuebant. Quare profitente Juliano loco citato, & quidem satis de more subdole: *Arbitrium liberum virtutum dogmatibus, & variis divinæ gratiæ speciebus juvatur:* Augustinus insurgit, & a Pelagiano hoc extorquere conatur, ut inter varias divinæ gratiæ species, etiam dilectionem recenseat, in quacumque illa usurpatione accipiatur, a quo tanquam a cane & angue refugiebat Hæreticus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Utilitas sentiendi est, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel rejiciendum, appetendum vitandumve, consulimus .... Libido autem sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit.* (b) *Quando* autem *molesta vitantur, ut putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis: ea vero, quæ his contraria commode sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione, cum præsto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine.* (c) Quosdam enim e. g. *ad mensam non ducit, nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque cadunt in escam & potum: Illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt, ut comedant; sed ideo comedunt, ut vivant. Itaque istis prudentibus, & temperantibus si offerretur, ut sine cibo & potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quo cadere non consueverunt, nec descendere cogerentur?* (d) Cum enim *salus sit caussa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus caussa fiat, quod salutis caussa me facere vel dico, vel volo:* (e) *Alimentorum* tamen *sustentaculis indigemus: si suavia non sunt, quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & perniciosa sunt cavenda fastidia; non solum ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.* (f) Similiter quoad fœminatum usum: *Illi priores Sancti homines Dei filios suscipere volebant: Ad hoc unum jungebantur feminis, ad hoc feminis miscebantur, ut filios procrearent; ideo illis permissum est, ut plures haberent.* (g) *Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ*

caussa

caussa procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus. (h) *Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus: Etiam ipsum tamen laudabilius transcendit, & vincit cælestia cogitans animus Christianus.* (i) *Consulta quippe æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, non nisi propagationis caussa statuit hominis concubitum fieri, & hoc non nisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis.* (k) *Nescio* enim *quemadmodum dicam..... Mulierem, quæ viro suo servat thori fidem, si hoc faciat propter præceptum & promissum Dei, eique primitus sit fidelis, non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam, vel parvam esse virtutem; sic & maritum, qui hoc idem servat uxori.....Unde pudicitia conjugalis in viris fœminisque religiosis, cum procul dubio virtus sit, non enim, aut nihil, aut vitium est, non tamen secum habet omnes virtutes.* (l) Hujusmodi sunt *opera misericordiæ, affectus caritatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, quæ semper tenenda sunt..... Intus sunt omnes istæ virtutes, quas nominavi. Quis autem sufficiat omnes nominare? Quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim Imperator per exercitum suum agit, quodque placet; sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, idest, in mente per fidem, utitur istis virtutibus, quasi ministris suis.* (m) Tunc *jucundare in iis, quæ jussit Dominus, ut jucunderis in Domino: Jucundare a fide, jucundare in spe, jucundare in caritate, jucundare in misericordia, jucundare in hospitalitate, jucundare in castitate. Hæc omnia bona sunt thesauri interioris hominis, gemmæ non arcæ tuæ, sed conscientiæ tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere; unde si nudus exieris, plenus eris.* (n) *Est* enim *virtus animi res laudabilis: Prudentia, bona & mala discernens: Justitia, sua cuique distribuens: Temperantia, libidines cohibens: Fortitudo, molestias æquanimiter sustinens: Magna res, laudabilis res.*

(o) Sed

(o) Sed multum interest, quo fine ista fiant; quare *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: quia dextera, pura conscientia est; sinistra, mundi cupiditas. Multi per cupiditatem mundi mira faciunt, sinistra operatur, non dextera. Dextera debet operari, & nesciente sinistra, ut nec misceat se cupiditas sæculi, quando aliquid boni dilectione operamur. Et ubi hoc cognoscimus? Ante Deum es. Interroga cor tuum. Vide quid fecisti, & quid ibi appetisti: salutem tuam, an laudem hominum ventosam? Intus vide.* (p) Sic abstinentiæ discutiendus est finis. *Jam enim constat, ut opinor, hujuscemodi moribus nihil aliud esse quærendum. Si ergo parcimoniæ gratia, & coercendæ libidinis, qua escis talibus & potu delectamur, audio, & probo.* (q) Similiter propter honestum finem, *si quis non habens caritatem, quæ pertinet ad unitatem spiritûs & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, & ignis æterni, nullo modo ista culpanda sunt; immo vero & hæc laudanda patientia est. Sed merito quæri potest, utrum & ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque ab Ecclesia separatus, non pro errore, qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu verbi, quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum, pœnas patitur temporales? .... Respondeo, negandum non est hoc esse donum Dei.* (r) Verum quidem est, quod *timor non est in caritate, sed perfecta, sicut dictum est, caritas foras mittit timorem; sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii: Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time severitatem ... Si non amas, time, ne pereas: si amas, time, ne displiceas .... Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis: Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii.* (s) Quod pertinet ad dolorem, *non succensendum est de caris mor-*

mortuis dolori mortalium, sed diuturnus dolor non debet esse fidelium; si ergo quis contristatus est, jam sit satis: nec sic contristetur, quemadmodum gentes, quæ spem non habent. Non enim contristari prohibuit Apostolus Paulus, cum hoc diceret, sed sic contristari, quemadmodum gentes, quæ spem non habent. Nam & Marta & Maria piæ sorores, & fideles resurrecturum suum fratrem Lazarum flebant, quamvis eum tunc ad hanc vitam rediturum esse nescirent: & ipse Dominus eumdem, quem fuerat resuscitaturus, Lazarum flevit; nimirum ut fleamus etiam nos eos mortuos, quos ad veram vitam resurrecturos credimus, etsi non jussit præcepto, concessit exemplo. Hactenus ex S. Augustino.

(a) Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 65. to. 10. (b) Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 66. to. 10. (c) Serm. 51. c. 14. n. 24. to. 5. (d) Lib. 10. Confess. c. 31. n. 44. to. 1. (e) Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 67. to. 10. (f) Serm. 51. c. 15. n. 25. to. 5. (g) Lib. de peccato originali c. 38. n. 43. to. 10. (h) Lib. de bono viduitatis c. 8. n. 11. to. 6. (i) Lib. 22 contra Faustum c. 61. to. 8. (k) Epist. 167. ad Hieronymum c. 3. n. 10. to. 2. (l) Tract. 8. in Epist Jo. n. 1. to. 3. (m) Serm. 21. n. 8. to. 5. (n) Serm. 150. c. 8. n. 9. to 5. (o) Tract 6. in Epist. Jo. n. 3. to. 3. (p) Lib. 2. de moribus Manichæorum c. 13. n. 28. to. 1. (q) Lib. de patientia c. 26. n. 23. & c. 27. n. 24. & 25. to. 6. (r) Lib. de sancta Virginitate c. 38. n. 39. to. 6. (s) Epist. 263. ad Sapidam n. 3. to. 2.

ARTICULUS V.

Utrum ex S. Augustino timor divini supplicii sit affectus vitiosus & inhonestus?

Videtur, quod ex S. Augustino timor divini supplicii sit affectus vitiosus & inhonestus, quod ex productis S. D. sententiis ita suadetur.

I. TRact. 9. in Epist. 1. Joannis n. 5. & 6. to. 3. *Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum Diabolo:*

bolo: aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor quo times, ne in gehennam mittaris cum Diabolo, nondum est castus: non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ; cum autem times Deum, ne deserat te præsentia ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras. Non potest melius explanari, quid intersit inter duos istos timores, unum quem foras mittit caritas, alterum castum, qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia; sed timere ne damnetur a marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum: huic non grata, sed onerosa est mariti præsentia: & si forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales sunt, qui timent, ne veniat dies judicii. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterii immunditia maculare: optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, timet & illa. Interroga: quasi unum tibi respondent. Interroga illam: Times virum? Respondet, Timeo. Interroga & illam, si timeat virum? Respondet, Timeo. Una vox est, sed diversus animus. Jam ergo interrogentur: Quare? Illa dicit: Timeo virum, ne veniat: illa dicit: Timeo virum, ne discedat: Illa dicit: Timeo, ne damner: Illa dicit: Timeo, ne deserar. Pone hoc in animo Christianorum, & invenis timorem, quem foras mittit caritas; & alium timorem castum permanentem in sæculum sæculi.

II. Tract. 43. in Joan. num. 7. to. 3. *Quid de duobus timoribus? Est timor servilis, & est timor castus: est timor, ne patiaris pœnam; est alius timor, ne amittas justitiam. Timor ille ne patiaris pœnam, servilis est. Quid magnum est timere pœnam? Hoc & nequissimus servus, hoc & crudelissimus latro: Non est magnum timere pœnam; sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam, nihil timet? Timet plane: non ne incidat in pœnam, sed ne amittat justitiam .... ipse est timor castus, ipse permanet in sæculum sæculi: non eum tollit caritas, nec foras mittit; sed magis complectitur, & comitem tenet, simul & possidet ...... Timet mulier adultera,*

tera, ne vir ejus veniat; timet & casta, ne vir ejus abscedat.

III. Lib. de Nat. & Gratia c. 57. n. 67. to. 10. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore Justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi.*

IV. Lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum c. 9 n. 15. to. 10. *In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.*

V. Epist. 145. Ad Anastasium n. 4. to. 2. *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: Amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare; nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.*

VI. Serm. 169. de verbis Apostoli c. 6. n. 8. to. 5. *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto, quia concupiscit.*

VII. Serm. 161. de verbis Apostoli c. 9. n. 9. to. 5. *Timet servus offendere Dominum suum, ne jubeat eum verberari, jubeat in compedes mitti, jubeat carcere includi, jubeat eum pistrino contineri: Hæc timens servus, non peccat; sed quando senserit absentes oculos Domini sui, nec habuerit testem, a quo possit convinci, facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non justitiam diligebat. Vir autem bonus, vir justus, homo liber.....delectatur ipsa Justitia, & si possit sine teste peccare, testem reformidat & Deum; & si possit audire Deum dicentem sibi: Video te cum peccas, non te damnabo, sed displices mihi: Ille nolens displicere oculis Patris, non formidolosi Judicis, timet non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur, sed ne offendat gaudium paternum, ne displiceat oculis amantis.*

VIII. Lib. 14. de Civit. Dei c. 10. to. 7. *Neque enim nullum peccatum est, ea, quæ lex Dei prohibet, concupiscere; atque ab his abstinere timore pœnæ, non amore justitiæ.*

IX. In Ps. 77. n. 10 to. 4. *Poterat putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea, quæ præcipiantur, forinsecùs fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt; ac per hoc quasi videntur*

dentur ambulare in lege Dei; sed nolunt ambulare: non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ; nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur: & ideo pares sunt manu, dispares corde: pares opere, dispares voluntate.

X. In Ps. 93. n. 1. to. 4. *Docet Deus innocentiam, ut quisque innocens sit, non timore pœnæ, sed amore justitiæ: tunc enim liber est innocens, & verus est innocens; qui autem timore innocens fit, non est innocens.*

XI. Epist. 153. ad Macedonium c. 6. n. 16. to. 2. *Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo, non peccant; non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.*

XII. In Ps. 118. serm. 26. n. 8. to. 4. *Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino timor divini supplicii non est affectus vitiosus & inhonestus. Ingenuum enim ac liberalem divini supplicii timorem frequentissimè S. Doctor in suis operibus commemorat, atque commendat: quem, a corruptis moribus ad meliorem frugem perditis hominibus revocandis, utilissimum esse definit, quod subjectæ S. Doctoris sententiæ sic luculenter declarant.

I. Tract. 9. in Epist. Joan. n. 4. to. 3. *Timor non est in caritate. Sed in qua caritate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor. Minor caritas, major timor: si autem nullus timor, non est, qua intret caritas.*

ritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor; quia ideo intravit, ut introduceret caritatem: Jam facta securitate in animo, quale gaudium nobis est vel in hoc, vel in futuro sæculo!

II. Tract. 9. in Epist. Joan. n. 4. to. 3. *Si sine timore es, non poteris justificari: sententia dicta est de scripturis, nam qui sine timore est, non poterit justificari. Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat caritas: Timor medicamentum, caritas sanitas: Qui autem timet, non est perfectus in dilectione. Quare? Quia timor tormentum habet, quomodo sectio Medici tormentum habet.* His positis ex S. Augustino probatur, quod divini supplicii timor, etiam turbulentus & anxius, quo quietus animi status exagitatur, cohæret optime cum caritate inchoata, cujus individuus est, atque fidissimus comes. Hic idem timor ductor est caritatis perfectæ, quam subsequentem præcedit, cui facilem aditum in corde aperit, a qua denique, utpote tranquillâ & pacatâ, timor hic sollicitus ac perturbatus foras excluditur. Cœterum nisi illius generis fuerit timor, quo tranquillitas animi exacerbatur, simul cum caritate perfectâ in animo, quem occupat, consìdet. Item ex S Augustino timor idem est præparatio necessaria, & via strata, atque patens injustis ad consequendam justificationem: medicamentum ægri animi est, quemadmodum perfecta caritas est optima animi valetudo Jam vero affectus tanta familiaritate, & consuetudine, cum virtute omnium principe caritate devinctus, tot tantaque commoda, & emolumenta animi secum afferens, omnesque numeros honestatis, Augustino Magistro, complectens, fieri non potest, ut sit affectus vitiosus, & inhonestus. Quapropter ex S Augustino divini supplicii timor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

III. Serm. 156. c. 13. n. 14. to. 5. *Qui enim adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios. Utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, caritas libera est: &, ut sic dicamus, timor est servus cari-*

ritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, praecedat servus in corde tuo, & servet Dominae venturae locum. Fac, fac vel timore poenae, si nondum potes amore justitiae: veniet Domina, & servus abscedet; quia consumata caritas foras mittit timorem.

IV. Tract. 9 in Epist. Joan. n. 5. to 3. *Sunt homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne aeterno. Ipse est timor ille, qui introducit caritatem; sed sic venit, ut exeat: si enim adhuc propter poenas times Deum, nondum amas, quem sic times: non bona desideras, sed mala caves; sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare coeperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona.*

V. Lib. de Sancta Virginitate c. 38. n. 39. to. 6. *Timor quidem non est in caritate; sed perfecta, sicut scriptum est, caritas foras mittit timorem; sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem: time severitatem.* Ex productis S. Augustini testimoniis liquidò constat, optandum esse, ut homo vindicis Dei poenas timeat: amandam quidem esse Dei bonitatem, sed timendam Dei pariter esse severitatem. Siquidem ex S. Doctore Dei timor, ne nos detrudat ad Inferos, ne in ignem aeternum cum Diabolo nos conjiciat, sedulus est custos cordis, a quo Diabolum procul arcet: &, cum caritatis sit servus, locum in corde parat venturae Dominae caritati, quam in secretum cordis penetrale mox introducit. Hoc timore excitatus nequam homo se corrigit, & paulatim ad meliora progreditur: incipit sempiterna bona desiderare, virtutes excolere, perfecta caritate nitere, quae excludit quidem ab animo humanum, non autem divinum timorem: humani, non divini supplicii metum: non aeternorum, sed mortalium malorum formidinem. Ex sententia igitur S Augustini benè cognità, atque perspectà concluditur, divini supplicii timorem affectum esse ex omni parte honestum, quinimo de omni honestate, ac virtute optimè meritum,

ritum, utpotè qui hominem a pravis libidinibus revocat, virtutibus inferioribus expoliendum committit, postremò sic expolitum Caritati, totius honestatis Magistræ, perficiendum hominem tradit. Quæ cum ita sint, ex S. Augustino divini supplicii timor non est actus vitiosus, & inhonestus.

VI. Eodem Lib. de S. Virginitate c. 38. n. 39. to. 6. *Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii.*

VII. In Ps. 127. n. 8. to. 4. *Ille timor nondum castus præsentiam, & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit: non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam: bonus est & iste timor, utilis est.*

VIII. Serm. 161. de verbis Apost. c. 8. n. 8. to. 5. *Modo cum dicis mihi: Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo. Quid dicturus sum? Male times? Vane times? non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem: Et ait, ubi dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis, ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas.* Itaque Augustinianis elocutionibus in unam summam contractis, Sole ipso clariora, & illustriora sunt, quæ S. Augustinus senserit de absolutissima honestate timoris, quem imminens Dei supplicium in nobis excitat, atque exprimit. Hæc autem sunt hujusmodi: Timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servitur, quamvis non sit caritatis perfectæ timor, inchoatæ tamen caritatis est timor: Bonus, & utilis est timor ille, quo quis vindicis Dei præsentiam, & pœnas timet, ne malum sempiternum subeat, ne ad Inferos detrudatur; & hoc timore perculsus facit, quidquid bons homo

mo facit: Timor, quo quis gehennam timet, ardere timet, in æternum puniri timet, non ſanè malus eſt timor, non planè vanus eſt timor; ſiquidem timor eſt a Chriſto Domino ſequacibus ſuis denuntiatus, incuſſus, vehementer incuſſus, ſemel atque iterum eâdem ſententiâ commemoratus: Numinis irati timor ſaluberrimus eſt, & cautiſſimè cuſtodiendus: Nihil indignato, ac vindice Deo melius timemus, nihil eſt, quod magis timere debeamus. Quamobrem ex hac conſtanti S. Auguſtini peroratione concluditur, quod Divini ſupplicii timor non eſt actus vitioſus, & inhoneſtus.

IX. In Pſ. 80 n. 20. to. 4. *Timens terreo, ſecuros vos facerem, ſi ſecurus fierem: Ego ignem æternum timeo.*

X. Lib. de Gratia, & libero arbitrio c. 18. n. 39. to. 10. *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepiſſe ſpiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum, de quo dicit Propheta Iſaias: Requieſcet ſuper eum . . . . . Spiritus timoris Domini: non quo timore Petrus Chriſtum negavit; ſed illius timoris ſpiritum accepimus, de quo dicit ipſe Chriſtus: Eum timete, qui habet poteſtatem & animam, & corpus perderr in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.*

XI. Lib. de Cathechizandis rudibus c. 5. n. 9. to. 6. *De ipſa etiam ſeveritate Dei, qua corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, caritas ædificanda eſt, ut ab eo, quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, ejuſque in ſe dilectioni, etiamſi impune poſſet, tamen diſplicere vereatur. Rariſſime quippe accidit, imò vero nunquam, ut quiſquam veniat, volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Ex his habes, quod divinæ ſeveritatis timor, quo mortalium corda quatiuntur, affectus eſt ſaluberrimus, & quaſi ſtabile fundamentum, ex quo excitata caritatis divinæ moles ſurſum attollitur: quod magiſtrâ experientiâ compertum eſt Infideles, ut plurimum, non alio impulſu, quàm divinæ ſeveritatis terrore perculſos, in amplexum Chriſtianæ Religionis convolare: quod timor, non quidem adverſantis hominis, quo timore Petrus a Chriſto defecit, ſed vindicantis Numinis, per illa Chriſti Domini verba ſignificatus: *Eum timete,*

mete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam, quod hujusmodi, inquam, timor, teste Augustino, magnum est Dei donum, divinitus nobis promissum in illis Isaiæ verbis: *Requiescet super eum spiritus timoris Domini*, quo timore concussus ipsemet Augustinus, quamvis divini Amoris igne foveretur, fatetur aperte, se ignem æternum timere, atque exemplo suo, ignis inferni timorem suis auditoribus incutit. His probe cognitis, atque animo ritè comprehensis, manifestum est, quod ex S. Augustino divini supplicii timor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

XII. Epist. 93. ad Vincentium c. 2. n. 5. to. 2. *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit, quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum, divinæ iracundiæ timore, convertunt.*

XIII. Tract. 9. in Epist. Joan. n. 2. to. 3. *Cœpit aliquis credere diem judicii. si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diem judicii, timendo corrigat se: vigilat adversus hostes suos, idest, adversus peccata sua: Incipiat reviviscere interius, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram.*

XIV. Tract. de Urbis excidio c. 4. n. 4. to. 6. *Cogita quaslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas, compara ad gehennam, & leve est omne quod cogitas. Hic temporalis, ibi æternus est, & qui torquet, & qui torquetur. Numquid adhuc patiuntur, qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Dives autem ille adhuc apud inferos patitur, arsit, ardet, ardebit. Vivet usque ad judicium; recipiet carnem non ad beneficium, sed ad supplicium. Illas pœnas timeamus, si Deum timemus.* Itaque ex S. Augustino Deus Pater ad Filium suum homines Infideles adtrahit, excitando in eorum cordibus divinæ iracundiæ timorem, quo timore incitati, ad Christi Domini cultum ab impiâ superstitione, se transferunt. Timor extremi judicii initium est caritatis.

tatis perfectæ, cujus timoris finis, in quem desinit, est eadem caritas. In quo videmus hujusmodi initium, videlicet, timorem servilem, non est desperandus hujuscemodi finis, videlicet, filialis caritas: siquidem illius timoris divino munere homo se corrigit, vigilat adversus peccata sua, incipit reviviscere interius, motusque pravos extinguere. Quare si Deum timemus, sempiternas poenas, hortatore Augustino, timeamus, quarum poenarum formidine munimur ad æquanimiter tolerandas, finem habituras, vitæ labentis calamitates. Ex his præclaris muneribus, eximiisque laudibus, quibus divini supplicii timorem exornatum prædicat S. Doctor, & animo complectendum, atque fovendum suadet, legitimâ consecutione deducitur, divini supplicii timorem, ex Augustini sententia, non esse affectum vitiosum, & inhonestum.

XV. In Psal. 49. n. 7. to. 4. *Qui illam dulcedinem nondum gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem: Supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur; contremisce, quod minatur .... Minatur inimicus tam leve malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? .... Minis Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum.*

XVI. Epist. 122. ad Clerum & Populum Hipponen. n. 1. to. 2. *Si modo tantâ curâ, tanta intentione, tanto labore agitis, ne in aliquos cruciatus transitorios incidatis, quantum vos oportet esse sollicitos, ut sempiternas miserias fugiatis? Et si mors sic timetur, quæ finit temporalem laborem, quomodo timenda est, quæ mittit in æternum dolorem?*

XVII. Lib. 6. Operis imperfecti n. 40. in fine to. 10. *Propter quod Dominus, ne mors ista corporis timeatur, cujus timor facit reos; sed illa potius sempiterna, quam non timendo, fiunt rei, apertissime dicit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam. Hæc est certè mors secunda, atque perpetua, contra cujus timorem non certant Sancti, sed contra istam potius corporis temporalem; nam ut hanc vincant, illam timent.* Igitur

ex

ex S. Augustini sententia pertimescendus est sempiternus ignis. Utilitas nostra postulat, ut divina supplicia nos terreant. Contremiscendum est ad infinita mala, quæ divinæ legis violatoribus Deus comminatur. Minis Dei, minis sempiterni ignis prohibemur a malo, invitamur ad bonum. Sollicitos nos esse oportet, ut sempiternas miserias evitemus. Timenda mors illa est, quæ in sempiternum dolorem nos conjicit. Nunquam interituræ mortis timorem ipsemet Christus Dominus nobis incutit, quam non timendo, flagitiis atque sceleribus homines improbi fiunt obnoxii. Probi atque pii non pugnant adversus timorem mortis illius, quæ nullum finem est habitura; sed contra mortis hujus timorem decertant, quæ temporis momento concluditur; ut enim brevissimam hanc, & fugacissimam mortem vincant, sempiternam illam, atque infinitam pertimescunt. Jam vero ex superioribus S. Augustini testimoniis & pronuntiatis, quasi in aciem productis atque dispositis, evincitur, quod ex S. Doctore divini supplicii timor non est affectus vitiosus & inhonestus.

XVIII. In Ps. 123. n. 12. to. 4. *Quomodo si videas avem, veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, ut volet de muscipula; sic & Martyres, jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus. Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium.*

XIX. Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. *Si igne Cæli non accenderis, ignem time gehennarum: Si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter Angelos diaboli: Si non amas esse in Regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor pædagogus sit, non ipse in te remaneat; sed te ad caritatem, quasi ad magistrum, perducat.*

XX. Epist. 104. ad Nectarium c. 3. n. 9. to. 2. *Pænitentia, sicut scribis, impetrat veniam, & purgat admissum, sed illa, quæ in vera Religione agitur, quæ futurum judicium Dei cogitat.... Hinc est, quod Christianis confitentibus, atque deprecantibus..... pænitentiæ dolorem fructuosum esse credidimus,*

mus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quòd inest cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent. Quæ autem in rem nostram his Augustini definitionibus continentur ea sunt, quæ sequuntur, videlicet. Pœnitentia Christiana, quæ in verâ agitur Religione, ex divini judicii formidine orta, impetrat veniam, admissa piacula expiat, bonorum operum plurimos fructus parit, atque ad meliorem vitam instituendam est satis apta, & idonea. Quosdam nutantes Martyres, qui, vitæ labentis jucunditate capti, in Fidei quæstione periclitabantur, terribili sonitu sempiternorum cruciatuum excussos, ab impendenti sacrilegæ defectionis discrimine Deus eripuit. Si amor cælestis Patriæ, si consortii Angelici desiderium, si regni nunquam casuri cupiditas nos ad virtutes minimè inflammant, curandum est, ut timor ignis semper deflagraturi, metus teterrimi cum diabolo contubernii, terror interni carceris irreserabilis nos a peccatis cohibeant, atque deterreant. Hic autem timor amoris est prodromus, instar est pædagogi, qui nos ad magistram caritatem, divini amoris præceptis institutisque imbuendos, quasi manu perducit. Cum igitur, teste Augustino, immortalia, ac cælestia sint ea munera, quæ ex divini supplicii timore ad homines proficiscuntur, conficitur ex S. Doctore, quod divini supplicii timor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino timor ille gehennæ nondum castus, & exclusus a caritate, est timor pœnæ conjunctus cum amore culpæ, quo peccator vellet non esse pœnam, ut posset impunè admittere culpam, quod exemplo satis apto & idoneo conjugis impudicæ explicat S. Doctor, quam constituit volentem facere adulterium, delectari nequitia, amare nequitiam, a qua abstinet dumtaxat opere externo propter timorem viri, sed ab ea non abstinet affectu interno. Viri enim absentiam desiderat, ut sibi liceat impunè diversari cum mœcho. At ex S. D. non omnis pœnarum timor est hujusmodi; siquidem eodem tractatu 9. in Epist. Joan. n. 5. to. 3. hæc habet: *Sunt homines, qui propterea timent*

timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit caritatem; sed sic venit, ut exeat: si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves; sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? ne amittas ipsa bona.

Ad secundum dicendum, quod timor ille servilis, de quo ibi loquitur S. D., non est honestus, sed vitiosus pœnæ timor, qui adjunctum & comitem habet amorem criminis, quo timore & nequissimus servus, & crudelissimus latro, & infidelissima adultera aguntur: hujusmodi enim homines flagitiosissimi non timent obstringi scelere, quod in deliciis habent; sed timent dumtaxat affici pœnâ, a qua reformidant. Ita enim sunt animo comparati, ut nollent adesse pœnam, qua sublata, liceret illis impunè teterrima quæque flagitia perpetrare. Sed præter vitiosum hunc pœnæ timorem, est alius honestus pœnarum timor, qui longè abest ac distat a quolibet amore criminis, quem ab omni vitio absolutum S. D. esse definit lib. 6. operis imperfecti n. 40. in fine to. 10. per hæc verba: *Dominus, ne mors ista corporis timeatur, cujus timor facit reos; sed illa potius sempiterna, quam non timenda, sunt rei, apertissimè dicit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam. Hæc est certè mors secunda, atque perpetua, contra cujus timorem non certant Sancti, sed contra istam potius corporis temporalem; nam ut hanc vincant, illam timent.*

Ad tartium dicendum, quod ex S. Augustino sub lege Judaica est, qui Judæorum instar, timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere, non autem ab amore peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. Agit enim hic S. Doctor de timore Judaico in veteri lege satis frequenti, quem utpote vitiosum reprobat; non autem de timore Christiano in nova lege proposito, quem

utpote honestum commendat. Siquidem in lege Judaica constitutæ erant pœnæ dumtaxat humanæ adversus eos, qui legem fregissent. Hoc ducti timore Judæi veteres a violandis legibus abstinebant: non ab amore & voluntate interna peccati, sed dumtaxat a prohibito opere externo se continentes metu pœnæ, quam oderant, nulla habita ratione criminis, quod amabant; sic enim prosequitur S. Doctor loco citato: *In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat.* At non est hujusmodi Christianus æterni supplicii timor, qui revocat Christianum hominem tum a pravo opere externo, tum ab inhonesto amore, ac desiderio interno, cum vera Religio doceat, contra utrumque constitutum esse supplicium æternum. Hinc S. Doctor serm. 161. de verbis Apostoli c. 8. n. 8. to 5 *Modo cum dicis mihi*, inquit, *gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo. . . . . dicturus ego sum: male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore, coercente opus dumtaxat externum, non peccat. Timor autem hujusmodi ex S. Augustino vitiosus est, utpote qui conjunctus cum prava voluntate peccandi, avertit animum a solo pravo opere externo, ad evitandas poenas adversus legum eversores constitutas, quod solemne erat apud Judæos veteres, de quibus ibi loquitur S. Doctor: verba enim antecedentia objectam sententiam sunt, quæ sequuntur: *Nec moveat, quod ad Philippenses scripsit: secundum justitiam, quæ in lege est, qui fuerim sine querela. Potuit enim esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, non dilectione, & delectatione justitiæ; aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impune permitti.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino inimicus Justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat, opere dumtaxat externo;

terno; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare; nam qui hoc vitioso timore, nequam servorum proprio, gehennas metuit, non peccare metuit, propter voluntatem peccandi cupidam, sed ardere. Superiori S. Doctoris verba illius mentem satis aperte declarant: Hæc enim habet: *Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri, nam, quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem: Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem, vel judicantem ferat?*

Ad sextum dicendum, quod ex S. Augustino, qui timore pœnæ conjuncto cum amore culpæ, quo vellet non esse pœnam, ut securus amplecteretur culpam, opere duntaxat externo non concupiscit, affectu interno revera hic concupiscit. Explicat hoc S. Doctor loco citato per plura exempla satis apta & idonea, quæ illius mentem perspicuam faciunt: Audiatur: *Qui timore pœnæ non concupiscit, puta, quia concupiscit. Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam Leo revocatur a præda: & tamen Leo venit, Leo redit; prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, qua justitia tibi consulis, ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro? Quis sceleratus? Quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Erga & concupiscen-*

ſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit. Ad ovile venit Lupus, latratu canum, & clamore paſtorum ab ovili reverſus eſt Lupus: ipſe tamen ſemper eſt Lupus.

Ad ſeptimum dicendum, quod timor ille, quem S. Auguſtinus ibi damnat, non eſt timor, ut ajunt, *ſimpliciter ſervilis*, ſed timor, quem dicunt *ſerviliter ſervilem*; Videlicet: Eſt timor ſervi non probi,ſed improbi; nam ut ubi diſſerit S.D.: *Hæc timens ſervus* (verbera, ſcilicet, compedes, carcerem, piſtrinum) *non peccat; ſed quando ſenſerit abſentes oculos Domini ſui, nec habuerit teſtem, a quo poſſit convinci, facit.* Alter autem timor priori oppoſitus, quem ibi S. Doctor commendat, timor eſt, quem *filialem* appellant, qui ab amore filii erga patrem profluit, his verbis a S. Doctore ſignificatus: *Ille nolens diſplicere oculis Patris, non formidoloſi Judicis, timet non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur, ſed ne offendat gaudium paternum, ne diſpliceat oculis amantis.* Inter utrumque timorem ſerviliter ſervilem, atque filialem: inhoneſtum, atque honeſtiſſimum, medius eſt timor honeſtus ſimpliciter ſervilis, proprius ſervi probi ac bene morati,expreſſus a S. D. loco citato ſub num. 8. c. 8. his verbis: *Modo eum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: Quid dicturus ſum? Male times? Vane times? Non audeo; quandoquidem ipſe Dominus, ablato timore, ſubjecit timorem, & ait, ubi dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent, quid faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis: hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego ſum, male times? Iſta non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt, quod magis timere debeas.* Exemplum eſto timoris triplicis,ſupra propoſiti. Servus nequam & improbus ſic apud ſe ſtatuit: *Nolo furari, ne a Domino vindice plectar: quod ſi non plecterer, ſane furarer.* Filius amans, ita decernit: *Nolo furari, ne Patri amanti diſpliceam.* Servus probus, ac bene moratus ita apud ſe conſtituit: *Nolo furari, ne a Domino vindice plectar:* & hic con-

consistit, neque ultra progreditur. Quod si quis servum probum interrogando urgeat: *Quid si a Domino vindice non plecteretis?* Et ille respondeat: *Utique furarer*: Tunc timor honestus simpliciter servilis desinit in timorem inhonestum serviliter servilem. Si autem respondeat: *Adhuc non furarer, quia Domino, quem loco Patris habeo, displicerem*: Tunc timor honestus simpliciter servilis in filialem timorem honestissimum desinit.

Ad octavum dicendum, quod ex S. Augustino peccatum utique est, timore pœnæ abstinere a rebus prohibitis, easdemque simul concupiscere pravo desiderio deliberato. At timore pœnæ abstinere tum a rebus prohibitis, tum a pravo illarum desiderio deliberato, nullum profecto peccatum est. Quamobrem ex S.Augustino non residet vitium in timore pœnæ, sed in prava concupiscentia deliberata conjucta cum tali timore.

Ad nonum dicendum, quod ex S. Augustino ex corde nullo modo fieri potest, quod fit formidine pœnæ conjuncta cum amore & voluntate culpæ; quod comprobat S. Doctor subjecto exemplo: *Quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur; & ideo pares sunt manu, dispares corde: pares opere, dispares voluntate.* Per hoc autem corde & voluntate sunt dispares, quia justitiæ cupidus odit, & non vult furtum; at timidus osor pœnæ, amat, & vellet furtum: Pœnam enim timet, & odit, quod fusius explicat S. Doctor loco in objectione citato n. 45. his verbis: *Multi sibi videntur innocentes, qui non faciunt mala, cum timent ne patiantur, si fecerint. Vellent autem facere, si impune potuissent. Tales videri possunt habere innocentiam manuum, non tamen cordis. Et quæ tandem, aut qualis est ista innocentia, si cordis non est, ubi homo factus est ad imaginem Dei?*

Ad decimum dicendum, quod ex S. Augustino, qui non divino, sed humano pœnæ timore, conjuncto cum prava peccandi cupiditate, fit innocens apud homines, eo quod abstineat a pravo opere externo, non est innocens apud Deum, eo quod non temperet a prava cupiditate interna, quod S. Doctor optimus

timus sui interpres sic explicat loco allegato: *Qui autem timore innocens sit, non est innocens, quamvis non noceat, cui vult nocere; non enim nocet alteri per factum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam.*

Ad undecimum dicendum, quod ex S. Augustino boni pronuntiandi non sunt, qui humanas pœnas metuendo, non peccant opere dumtaxat externo; sed peccant utique affectu interno. Non enim bonus est quispiam humano timore pœnæ, conjuncto cum amore culpæ; sed amore justitiæ, conjuncto cum odio culpæ. S. Doctoris mentem antecedentia, & consequentia allegatæ epistolæ verba perspicuam faciunt & exploratam; sic enim scribit: *Nec ideo sanè frustra instituta sunt potestas Regis, jus gladii Cognitoris, ungulæ Carnificis, arma Militis, disciplina Dominantis, severitas etiam boni Patris..... Hæc cum timentur, & coërcentur mali, & quietius inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo non peccant; non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ; verumtamen non inutiliter etiam metu legum humana coërcetur audacia, ut & tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio frenatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas.*

Ad duodecimum dicendum, quod ex S. Augustino id agit gratia, ut dilectione, bona videlicet voluntate, ex sancto & honesti fine concepta, impleantur mandata Dei, quæ timore Judaico, ex hujus vitæ pœnis excitato, & cum prava voluntate peccandi conjuncto, impleri sane non poterant. Sic enim prosequitur S. Doctor loco citato: *In testamento veteri... propter mercedem terrenam atque carnalem, Dei mandata facere conabantur, neque faciebant; quia non ipsa, sed aliud diligebant. Unde illa non erant opera volentium, sed onera potius invitorum.* Et in Ps. 84. n. 11. to. 4. *In veteri testamento timebatur* Deus, *ne daret illos in captivitatem, ne tolleret illis terram, ne grandine contunderet vites ipsorum, ne faceret steriles uxores eorum, ne auferret ab eis filios ipsorum. Hæc enim carnalia promissa Dei tenebant adhuc parvas animas, & propter hæc timebatur Deus.*

CON-

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Timor non est in caritate; sed in qua caritate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit, & quantùm illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor; minor caritas, major timor. Si autem nullus timor, non est, qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. Jam facta securitate in animo, quale gaudium nobis est, vel in hoc, vel in futuro sæculo!* (b) Quod *si sine timore es, non poteris justificari. Sententia dicta est de scripturis; nam qui sine timore est, non poterit justificari. Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat caritas, timor medicamentum, caritas sanitas. Qui autem timet, non est perfectus in dilectione. Quare? Quia timor tormentum habet; quomodo sectio Medici tormentum habet.* (c) *Qui enim adhuc ideò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios. Utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, caritas libera est; &, ut sic dicamus, timor est servus caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, ut servet Dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet Domina, & servus abscedet; quia consumata caritas foras mittit timorem.* (d) Quarè *si igne Cæli non accenderis, ignem time gehennarum, si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter angelos diaboli; si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor pædagogus sit, non ipse in te remaneat; sed te ad caritatem,*

quasi ad Magistrum, producat. (e) Sunt enim homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit caritatem, sed sic venit, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times: Non bona desideras, sed mala caves; sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare; cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis timor castus? Ne amittas ipsa bona. (f) Est sanè timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. (g) Nam ille timor nondum castus præsentiam, & pœnas timet: Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam: Bonus est & iste timor, utilis est. (h) Timor quidem non est in caritate; sed perfecta, sicut scriptum est, caritas foras mittit timorem; sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time severitatem. (i) Cum ergò dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo. Quid dicturus sum? Malè times? Vanè times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem, & ait, ubi dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis; ita dico vobis, hunc timete. Cum ergò Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum: malè times? Ista non dicam: Planè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. (k) Timens enim terrea, securos vos facerem, si securus fierem: ego ignem æternum timeo. (l) Cavere siquidem debemus, ne nos arbitremur, non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio est magnum Dei donum, de quo dicit Propheta Isaias: Requiescet super eum Spiritus

timo-

timoris Domini : Non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus. Eum timete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete. (m) Ne ergò *mors ista corporis timeatur, cujus timor facit reos; sed illa potius sempiterna, quam non timendo, fiunt rei; apertissimè dicit* Dominus: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent, quod faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam. Hæc est certè mors secunda atque perpetua, contra cujus timorem non certant Sancti, sed contra istam potius corporis temporalem; nam ut hanc vincant, illam timent.* (n) *De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas ædificanda est, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impunè posset, tamen displicere vereatur: rarissimè quippe accidit, imò vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* (o) *Nemo* etenim *venit, nisi quem Pater adtraxerit, quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum divinæ iracundiæ timore convertunt.* (p) *Qui* enim *cœpit timere diem judicii, timendo corrigat se, vigilat adversus hostes suos, idest, adversus peccata sua: Incipiat reviviscere interius, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram.* (q) *Pœnitentia* autem *impetrat veniam, & purgat admissum; sed illa, quæ in vera Religione agitur, quæ futurum judicium Dei cogitat. Hinc est, quod Christianis confitentibus, atque deprecantibus, pœnitentiæ dolorem fructuosum esse credidimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quòd inest cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent.* (r) Cogita enim *quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas, compara ad gehennam, & leve est omne, quod cogitas. Hìc temporalis, ibi æternus est, & qui torquet, & qui torquetur. Sic dives ille adhuc apud inferos patitur, arsit, ardet, ardebit: vivet usque ad judicium: recipiet carnem non ad beneficium*

neficium, sed ad supplicium. Illas pœnas timeamus, si Deum timemus. (f) Nam *si modo tantâ curâ, tantâ intentione, tanto labore agimus, ne in aliquos cruciatus transitorios incidamus, quantùm nos oportet esse sollicitos, ut sempiternas miserias fugiamus? Et si mors sic timetur, quæ finit temporalem laborem, quomodo timenda est, quæ mittit in æternum dolorem?* (t) Quamobrem *qui nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur? Contremisce, quod minatur. Minatur inimicus tam leve malum, & facis malum. Minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Minis Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum*. (u) Sic enim actum est cum Martyribus: *Jam fortè aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus. Dominus qui erat in illis fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium*. Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Tract. 9. in Epist. Joannis n. 4. to. 3. (*b*) Tract. 9. in Epist. Jo. n. 4. to. 3. (*c*) Serm. 156. n. 14. to. 5. (*d*) Serm. 349. c. 7. n. 7. tom. 5. (*e*) Tract. 9. in Ep. Jo. n. 5. to. 3. (*f*) L. de S. Virginit. c. 8. n. 39. to. 6. (*g*) In Psa m. 127 n. 8. tom. 4. (*h*) L. de S. Virginit. c. 38. n. 39. to. 6. (*i*) Serm. 161. de verbis Apost. c. 8. n. 8. tom. 5. (*k*) In Ps. 80. n. 20. tom 4. (*l*) L. de Gratia & Lib. arb. c. 18. n. 39. to. 10. (*m*) L. 6. operis imperfecti n. 40. to 10. (*n*) Lib. de Cathechiz. rudibus c. 5. n. 9. to 6. (*o*) Epist. 93. ad Vincentium c. 2. n. 5. to. 2. (*p*) Tract. 9. in Ep. Jo. n. 2. tom. 3. (*q*) Ep. 104. ad Nectar. c. 3. n. 9. to. 2. (*r*) Tract. de excidio Urbis c. 4. n. 4. to. 6. (*s*) Epist. 122. ad Clerum & Pop. Hipp. n. 1. tom. 2. (*t*) In Ps. 49. n. 7. to. 4. (*u*) In Ps. 123. n. 12. to. 4.

AR-

ARTICULUS VI.

Utrum ex S. Augustino divinæ mercedis amor sit affectus vitiosus, & inhonestus?

Videtur, quod ex S. Augustino divinæ mercedis amor sit affectus vitiosus, & inhonestus: Hæc enim habet.

I. IN Pf. 55. n. 17. to. 4. *Nos ergo Deum amemus, Fratres, purè & castè. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus planè, sed ipsum Deum, quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum, sicuti est.*

II. Et rursus ibidem: *In istis humanis conjugiis considerate cor castum quale sit ad Deum. Certè humana conjugia sunt: non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit: non maritum castè diligit, quæ propterea diligit, quia aliquid donavit, aut quia multùm donavit.... Si ergò maritus carnalis gratis diligitur, si castè diligitur, & uxor carnalis gratis diligitur, si castè diligitur.... Deus quomodo diligendus est verus & verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fœcundans, & steriles nos non esse permittens? Illum ergò sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur.*

III. In Pf. 72. n. 32. to. 4. *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea vult servire Deo; carius facit, quod vult accipere, quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo, nullum præmium Dei? Nullum, præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit, si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumpèris. Noli recedere, corruptio tua erit, fornicatio tua erit.*

IV. Et rursus ibidem sub num 34 *Gratis amantur flagitiosi homines; & a Deo præmium quæritur, ut ametur? Ama Deum gratis, nulli invideas Deum.*

VE-

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S Auguſtino divinæ mercedis amor non eſt affectus vitioſus, neque inhoneſtus; ſempiternæ enim mercedis amorem diſertiſſimis verbis ſic S. D. approbat, atque commendat.

I. Lib. 5. de Civitate Dei c. 16. to. 7. *Merces Sanctorum longè alia eſt etiam hic opprobria ſuſtinentiam pro Civitate Dei.... Proindè non ſolùm ut talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum eſt; verum etiam, ut cives æternæ illius Civitatis, quamdiu hic peregrinantur, diligenter, & ſobriè illa intueantur exempla, & videant quanta dilectio debeatur ſupernæ Patriæ, propter vitam æternam; ſi tantùm a ſuis civibus terrena dilecta eſt, propter hominum gloriam.*

II. In Pſ. 31 enar. 2. n. 5. & 6. to. 4. *Ille enim ſperat, qui bonam conſcientiam gerit. Quem vero pungit mala conſcientia, retrahit ſe a ſpe, & non ſibi ſperat, niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, & ut habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur. Quod credit, fidei eſt: quod operatur, caritatis eſt.... Quid ſi de his omnibus bonis operibus, aut illud ſperas, quod ſperandum eſt; ſed non ab illo, a quo ſperandum eſt: aut hoc ſperas, quod ſperandum non eſt, etiam ab illo, a quo æterna vita ſperanda eſt? Pro bonis operibus ſperaſti terrenam quandam felicitatem, impius es. Non eſt iſta merces fidei.... Quid ſi quod ſperandum eſt, ſperas, ideſt, vitam æternam, ſed non a Domino Deo per Jeſum Chriſtum, per quem ſolùm datur vita æterna....? Impius es.* Habemus igitur ex S. Auguſtino, quod in hac terrena peregrinatione Sancti Prædeſtinati, Cives conſcripti æternæ Civitatis cæleſtis, opprobria ſuſtinent, & ludibria tolerant, ſempiternæ mercedis, quam ab uno Deo ſperant, amore; atque adipiſcendæ Patriæ cæleſtis gratiâ, cui Patriæ ſupernæ maxima ex S. Doctore debetur dilectio, propter comparandam nobis vitam ſempiternam, atque

que immortalem. Hæc autem sempiterna vita, & Regnum sine fine mansurum, rerum expetendarum finis, atque extremum & ultimum bonorum, quæ nobis a solo Deo sunt speranda, & fidei, & bonæ conscientiæ, & rectè factorum merces sunt nobis a Deo constituta, atque proposita. Itaque & Sanctorum virorum exemplo, & Sancti Augustini suffragio comprobatur, quod divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

III. In Ps. 93. n. 23. & 24. tom. 4. *Labor est hic tuus, & requies tibi promittitur. Attendis te habere hic laborem; sed attende, qualem ille requiem pollicetur. Nunquid cogitare potes? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem .... Intendite, Fratres. Venale est, venale est, quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo, eme illam de labore .... Hæc est requies sempiterna: sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit incorruptio: vitam æternam habebis, requiem, quæ non habet finem. Quanta labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies, æterno labore rectè emitur.*

IV. In eundem Ps. 93. n. 25. to. 4. *Si fortè tentant fluctus concupiscentiæ, intueris quid promisit Deus, & dulcedo promissorum faciet te contemptorem dulcedinum sæculi. Et si fortè multæ urgent minæ potentium malorum, & ipsæ te expellunt de Justitia; attendis quod minatur Deus: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, & non dimittis justitiam; timens ergo ignem sempiternum, contemnis dolores temporales; & pro eo, quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem; patere molestiam: minatur ignem æternum; contemne dolores temporales.*

V. Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. *Si igne Cæli non accenderis, ignem time gehennarum; si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter angelos diaboli; si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor pædagogus sit:*

non

non ipse in te remaneat; sed te ad caritatem, quasi ad Magistrum, perducat. Jam verò locis exhibitis S. Augustinus incendit, & acuit Auditores suos ad suscipiendos alacri animo, quoslibet diuturnissimos licet, atque gravissimos pios labores, gratiâ & amore comparandæ sibi sempiternæ quietis, perennis gaudii, lætitiæ perpetuæ, vitæ immortalis, inviolabilis integritatis, quæ bona sunt merces piorum laborum, nobis a Deo promissa. Nihil ex S. Doctore est magis idoneum & aptum, cùm ad contemnendas fœdas corporis voluptates, tùm ad tolerandas vitæ hujus molestias, quàm spes, atque amor sempiternæ quietis, immortalisque jucunditatis a Deo promissæ, quæ devictarum libidinum merces erit. Amor cælestis Regni, amor Angelicæ societatis, atque convictûs, superna bona nobis a Deo promissa, *Caritas* dicitur ab Augustino, morum atque virtutum omnium Magistra, ad quam instituendos, atque excolendos timor nos pædagogus perducit. Ex his autem concluditur cum S. Augustino, quod divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

VI. Serm. 65. c. 7. n. 8. to. 5. *Illam mortem timentes, & illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt, & nobis celebranda illa solemnia reliquerunt*.

VII. In Ps. 136. n. 15. to. 4. *Quidquid facis propter vitam æternam, dextera operatur: si caritati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus commodi sæcularis, cognovit sinistra tua, quid faciat dextera tua*.

VIII. Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. *In ista colluvie morum pessimorum, & veteris perditæ disciplinæ, maximè venire, ac subvenire debuit cœlestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, benevolentiam, justitiam, atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, ceterasque vitæ luminosas, validasque virtutes; non tantùm propter istam vitam honestissimè gerendam, nec tantùm propter civitatis terrenæ concordissimam societatem; verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, & sem-*

sempiterni cujusdam populi cælestem divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit, fides, spes caritas. Ergo si ex S. Augustino amore vitæ immortalis, & spe promissæ beatitatis strenuè pugnantes coronari apud Deum Martyres meruerunt: Si opera, quæ caritate seu amore æternæ vitæ fiunt, bona & honesta sunt, utpote quæ ex manu dextera, hoc est, ex pura conscientia proficiscuntur: Si propter adipiscendam sempiternam salutem, sempiternique cujusdam populi cælestem divinamque rempublicam assequendam, christianas omnes virtutes consectandas completendasque nobis persuadet cælestis Christi Domini auctoritas; eo ipso divina merces propter seipsam est honestè expetenda; eo ipso finis est honestissimus agendæ virtus, ad quem cetera omnia referantur. Quamobrem ex Sancto Augustino divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

IX. Epist. 167. ad Hieronymum c. 3. n. 10. to. 2. *Ego verò nescio quemadmodum dicam.... mulierem, quæ viro suo servat thori fidem, si hoc faciat propter præceptum, & promissum Dei, eique primitùs sit fidelis, non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam, vel parvam esse virtutem*.

X. Lib. de Cathechizandis rudibus c. 27. n. 27. to. 6. *Qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est*.

XI. Lib. de Sancta Virginitate c. 38. n. 39. to. 6. *Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis: Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii*. Tenes igitur ex superioribus S. Augustini sententiis, quod Pudicitia conjugalis sancte, & fideliter custodita, ex amore sempiternæ mercedis a Deo reportandæ, virtus Christiana est, nec contemnenda virtus. Rursus, quod integer atque sincerus Christianus est homo ille, qui Christianam amplectitur Religionem ex sempiternæ beatitatis, perpetuæque quietis adipiscendæ amore, quæ futura Piis, emenso vitæ curriculo, a Deo promittitur. Ter-

 tiò,

tiò, quod in Dei servis amor & desiderium divini præmii *perfecta caritas* ab Augustino dicitur: quemadmodum divini supplicii timor *caritas incboata*, seu initialis dilectio a S. Doctore appellatur. Ex quibus meridianâ luce clarius se manifestat, quod, auctore Augustino, divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

XII. Serm. 32. c. 13. to. 5. *Quomodò illa janua, cupiditas rerum temporalium, & timor pœnarum temporalium trabit plerumque ad nequitiam, & dat locum diabolo; sic cupiditas rerum æternarum, & timor pœnarum æternarum facit locum in corde verbo Dei.*

XIII. Eodem. Serm.32 c.14 & 15.n.14.to.5. *Si volumus benè vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus; & plus timeamus, quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus... Venit tentatio tibi alicujus fraudis, vis facere fraudem, ut acquiras pecuniam; promittit Deus fraudem non facientibus sempiterna regna Cœlorum... Itaque, fratres, hærete caritate promissis Dei, & non vos superabunt cupidiates sæculi.*

XIV. Tract. 3. in Epist Jo. n. 12. to. 3. *Exhorresce, quod minatur Omnipotens: ama, quod pollicetur Omnipotens: & vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens.* Docet igitur Augustinus amore mercedis, quam pollicetur Omnipotens, pro nihilo haberi, atque contemni mundum cum suis promissis: amanda esse sempiterna bona, quæ Deus pollicetur divinam legem servantibus; hæc autem bona sunt cælestia Regna nullum usquam habitura finem: caritate inhærendum esse bonis sempiternis a Deo promissis, quorum amore fluxæ atque caducæ defluentis vitæ cupiditates extinguntur; rerum autem æternarum cupiditatem Christianæ pietati locum in corde hominis præparare. Hoc igitur tenet, hoc tuetur, hoc Augustinus defendit, videlicet, divinæ mercedis amorem non esse affectum vitiosum, & inhonestum.

XV. Tract. 9. in Epist Jo. n. 5. to. 3. *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quod mala caves, corrigit*

rigit

rigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona.

XVI. Lib. 14. de Civitate Dei c. 9. n. 1. & 3. to. 7. *Cives sanctæ Civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione, secundùm Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque: Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re.... gaudent in spe.... Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, ut ea, quæ verè vitia sunt, virtutes vocentur.*

XVII. In Ps. 63. n. 16. to 4. *Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time. Ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo, quod promittit; nec terreberis ex eo, quod minatur homo.* Ex adductis testimoniis constat, quod desiderium æternorum bonorum habet lateri adjunctum, quasi comitem individuum, castum illum timorem non defectuum, in divinis libris mirificè commendatum, caritatisque perfectæ consanguineum: quod cupiditas vitæ æternæ, & gaudium de promissa beatitate, affectus & motus animi sunt, qui tam longè absunt a vitiis, quantum a vitiis absunt virtutes; sunt enim ex S. Augustino, in hujus vitæ peregrinatione, affectus maximè familiares hominibus justis, & pus, futuris civibus sanctæ Dei civitatis: quod voluptatis illius incorruptæ, quietisque sine labe cupiditas, mercedis a Deo constitutæ, contemptum parit totius mundi, bona caduca, & præstereuntia pollicentis. Amando enim ea, quæ promittit Deus, non corrumpimur ex iis, quæ promittit homo. His probè perceptis, ex S. Augustino demonstratur, quod divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

XVIII. In Ps. 68. serm. 1. n. 3. to. 4. *Majore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus; nam hic, & deliciæ*

temporales dulces sunt .... Sed quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?

XIX. In Ps. 79. n. 13. to. 4. *Amabas terram, ama vitam æternam; timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, nunquid potest dare, quantum dabit Justo Deus? .... Vis videre, quid daturus est Deus, si juste vixeris? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi .... Benè quidem, nihil tu aliud vis, quàm ut benè tibi sit. Nam in eo, quod amas, vis ut benè tibi sit: & in eo, quod times, non vis, ut malè tibi sit; sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas: nam & sine indigentia vis esse, & sine molestia. Bonum est, quod vis; sed tolera, quod non vis, ut assequaris, quod vis .... Ac per hoc sicut omnia justa opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.*

XX. In Ps. 141. n. 4 to. 4. *Timoris, & cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum Cælorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi, diabolus intrat; per desiderium vitæ æternæ, Christus intrat.* In allatis sententiis continetur, amandam esse vitam æternam: quod major æternitatis cupiditas, qua inhiamus æternæ vitæ dulcedini, fluxarum voluptatum fastidium, atque contemtum procreat: quod quidquid iniquo mundus promiserit, non potest ei tantum dare, quantum justo daturus est Deus, præmium videlicet sempiternum: quod ex bono sempiternæ beatitatis amore, mercedis a Deo promissæ, omnia justa, & bona opera nostra gignuntur: quod cælestis regni cupiditate, vitæque æternæ desiderio, cordis januam introeunti Christo aperimus. His datis, ex S. Augustino constat, quod divinæ mercedis amor non est affectus vitiosus, & inhonestus.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino minùs purè & castè Deum amamus, si Deum colimus spe mercedis adducti, quæ posita sit in ubertate, & copiâ rerum fluxarum, & caducarum, quas ibi commemorat S. D. ex Ps. 143. vide-

videlicet: *Filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundentia pecora, nullam ruinam, nullum tumultum, & clamorem; sed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in civitatibus*, ut in expositione prædicti Psalmi n. 18 to. 4. refert. Hæc enim sunt bona quædam media, quæ Deus indiscriminatim largitur bonis, & malis; adeoque non debent esse summa votorum apud Christianos homines, quod explicat S. Doctor, loco in objectione allegato, sub num. superiore 16. his verbis: *Omnia quippe illa, Fratres, quæ commemorarunt filii alieni, Deus dat; sed & alienis dat, sed & malis dat, sed & blasphemis dat, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Aliquando ista bonis dat, aliquando non dat: & malis aliquando dat, aliquando non dat. Bonis tamen servat seipsum; malis autem ignem sempiternum. Est ergò malum, quod non dat bonis: & est bonum, quod non dat malis: sunt quædam media & bona, & mala, quæ dat & bonis, & malis.*

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino non castè Deus diligitur, si propter bona caduca & mortalia duntaxat diligatur. Sic enim prosequitur loco citato: *Hoc est invocare Deum, gratis invocare. Proindè de quibusdam quid dictum est? Dominum non invocaverunt; quasi Dominum sibi invocare videbantur, & petebant eum de hereditatibus, de amplianda pecunia, de prolonganda vita ista, de ceteris temporalibus rebus: & quid de illis Scriptura? Dominum non invocaverunt. Ideò quid sequitur? Ibi timuerunt timore, ubi non erat timor. Quid est, ubi non erat timor? Ne illis subtraheretur pecunia, ne aliquid in domo eorum minùs fieret, postremò ne minùs annorum haberent in hac vita, quàm sibi sperabant.* Exemplum autem, a S. Doctore productum, optimè explicat id, quod contendit. Quemadmodum enim non castè ab uxore maritus diligitur, si non propter sobolem, sed propter munera duntaxat diligitur; ita non castè ab animâ cælestis Sponsus diligitur, si non propter prolem sempiternæ vitæ, sed propter munera labentis vitæ duntaxat diligitur. Quamobrem S. Doctor non reprobat, quin imo approbat amorem Dei, pro-

propter sempiternam vitam adipiscendam, quod allegatis verbis satis perspicuè profitetur. Sic enim habet: *Deus quomodo diligendus est verus, & verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fœcundans, & steriles nos non esse permittens?*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino, qui aliud præmium petit a Deo, & propterea vult servire Deo, pluris faciendo donum, quam Largitorem, carius facit, quod vult accipere, quàm ipsum a quo vult accipere. Si quis aliud dilexerit plusquam Deum, non erit castus amor; per hunc enim amorem, quo quis præfert bonum infimum Summo Bono, recedit ab igne immortali, frigescit, corrumpitur, & fornicatur a Deo, per hoc, quod ab amplexu avellitur Summi Boni, ut bonum infimum complectatur. Hæc enim subdit S. Doctor sequenti num 33. *Perdidisti omnem, qui fornicatur abs te. Huic fornicationi contrarius est amor castus. Quis est amor castus? Amat jam Anima Sponsum suum, quid ab illo quærit, a Sponso suo quem diligit? Fortè quomodo sibi eligunt homines aut generos, aut sponsos fœminæ: eligit fortè divitias, & aurum ejus amat, & fundos, & argentum, & pecuniam, & equos, & familiam, & cætera? Absit. Iste ipsum solum amat; gratis amat, quia in ipso habet omnia, quia per ipsum facta sunt omnia.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino amor amicitiæ, quo Deus amatur, ut bonus sibi, multò quidem præstantior est amore concupiscentiæ, quo Deus amatur, ut bonus amanti. Primus enim amor Deum expetit propter seipsum, nec ad aliud quidpiam Deum refert; secundus autem amor Deum refert ad propriam utilitatem. Ex his igitur duobus amantibus, alter amat Deum propter seipsum, alter amat Deum propter præmium. Quod si fingas hujusmodi amantem ita esse animo constitutum, ut sublato præmio, Deum amare recuset, hic utique peccat. Præfert enim munus Deo Largitori muneris. At non est necesse, ut qui amat Deum propter præmium, ad hanc progrediatur deliberationem, videlicet: *An secluso præmio, sit Deus amandus?* Multòque minùs necesse est, ut concludat, præmium esse Deo præponendum. Cete-

rum

rum amorem concupiscentiæ in Deum ab omni prorsus vitio vindicat S.Doctor, loco allegato sub num. 31. Sic enim habet: *Cœpit cogitare felicitatem ipsam cælestem, & arguere se, quia pecus fuit, & terrena desideravit. Quid enim mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram?.... Comparavit voluntati suæ terrenæ præmium cæleste, quod accepturus est. Vidit, quid ibi servaretur..... Servas, inquit, mihi tu in cælo divitias immortales, te ipsum: & ego volui a te in terra, quod habent & impii, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fæminæ turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno desideravi a Deo meo super terram, cum servet se mihi in Cælo Deus meus.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia, retrahit se a spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergò speret regnum, habeat bonam conscientiam, & ut habeat bonam conscientiam, credat, & operetur. Quod credit, fidei est: quod operatur, caritatis est..... Quid si de omnibus his bonis operibus, aut illud speras, quod sperandum est, sed non ab illo, a quo sperandum est; aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo, a qua æterna vita speranda est? Pro bonis operibus sperasti terrenam quandam felicitatem, impius es. Non est ista merces Fidei..... Quid si quod sperandum est speras, idest, vitam æternam, sed non a Domino Deo per Jesum Christum, per quem solum datur vita æterna?.....Impius es.* (b) *Merces enim Sanctorum longè alia est etiam hic opprobria sustinentium pro civitate Dei..... Cives ergo æternæ illius civitatis, quamdiu hic peregrinantur.....videant quanta dilectio debeatur supernæ Patriæ propter vitam æternam, si tantum a suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam.* (c) *Labor est ergò hic tuus, & requies tibi promittitur. Attende te habere hic laborem, sed attende qualem ille requiem pollicetur.*

tur. Nunquid cogitare potes? Si illam posses cogitare, videres te, nihil laborare ad compensationem.... Venale est, venale est, quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo, eme illam de labore.... Hæc est requies sempiterna: sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit incorruptio. Vitam æternam habebis, requiem, quæ non habet finem. Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. (d) Quod *si fortè tentant fluctus concupiscentiæ, intueris quid promisit Deus; & dulcedo promissorum facit te contempterem dulcedinum sæculi: Etsi fortè multæ urgent minæ potentium malorum, & ipsæ te expellunt de justitia; attendis quod minatur Deus: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, & non dimittis justitiam. Timens ergo ignem sempiterum, contemnis dolores temporales: & pro eo, quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem, patere molestiam: minatur ignem æternum, contemne dolores temporales.* (e) Sic *illam mortem timentes, & illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt.* (f) Quod *si igne Cœli non accenderis, ignem time gehennarum. Si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter angelos diaboli. Si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te priùs timor, & erit amor. Timor pædagogus sit, non ipse in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum, perducat.* (g) *Quidquid* enim *facis propter vitam æternam, dextera operatur; si caritati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus commodi sæcularis, cognovit sinistra tua, quid faciat dextera tua.* (h) Quamobrem, *qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut...... in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est.* (i) Similiter

nescia

nescio quemadmodum dicam, non dico virum .... sed etiam mulierem, quæ viro suo servat thori fidem, si hoc faciat propter præceptum, & promissum Dei .... non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam, vel parvam esse virtutem: sic & maritum, qui hoc idem servat uxori. (k) Ceteras etiam *vitæ luminosas, validasque virtutes cælestis auctoritas* persuadet, *non tantùm propter istam vitam honestissimè gerendam, nec tantùm propter civitatis terrenæ concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, & sempiterni cujusdam populi cælestem, divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit Fides, Spes, Caritas.* (l) Quarè *si volumus benè vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic Mundus. Venit tentatio tibi alicujus fraudis, vis facere fraudem, ut acquiras pecuniam: Promittit Deus fraudem non facientibus sempiterna regna Cælorum. Itaque, fratres, hærete caritate promissis Dei, & non vos superabunt cupiditates sæculi.* (m) *Quomodò* enim *illa janua, cupiditas rerum temporalium .... trahit plerumque ad nequitiam, & dat locum diabolo; sic cupiditas rerum æternarum facit locum in corde verbo Dei.* (n) Sed *est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandam Deo servire nondum est utique perfectæ caritatis; aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii.* (o) Nam *si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times: non bona desideras, sed mala caves; sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona.* (p) *Timoris* igitur, *& cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodò ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum Cælorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat.* (q) Itaque *exhorresce quod minatur Omnipotens: ama quod pollicetur Omnipotens, & vilescit omnis Mundus sive promittens, sive terrens.* (r) *Majore* enim *æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus; nam hic & deliciæ temporales dulces sunt; sed quis*

non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? (s) *Amabas terram, ama vitam æternam: timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, nunquid potest dare, quantum dabit justo Deus? Vis videre, quid daturus est Deus, si justè vixeris? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: benè quidem nihil tu aliud vis, quàm ut benè sit tibi; nam in eo, quod amas, vis ut benè tibi sit; & in eo, quod times, non vis ut malè tibi sit; sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas; nam & sine indigentia vis esse, & sine molestia. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis. Ac per hoc, sicut omnia justa opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.* (t) *Mortem* igitur *sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, & quietem sinè labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum Mundum deridebis. Ama ergò, & time. Ama quod promittit Deus: time quod minatur Deus, nec corrumperis ex eo, quod promittit; nec terreberis ex eo, quod minatur homo.* (u) Sic *cives sanctæ civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione, secundùm Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re, gaudent in spe. Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, ut ea, quæ verè vitia sunt, virtutes vocentur.* Hactenus ex Sancto Augustino.

QUÆ-

(*a*) In Pf. 31. enar. 2. n. 5. & 6. to. 4. (*b*) L. 5. de Civ. Dei c. 16. to. 7. (*c*) In Pf. 93. n. 23. & 24. to. 4. (*d*) In eumdem Pf. 93. n. 25. to. 4. (*e*) Serm. 65. c. 7. n. 8. to. 5. (*f*) Serm. 349. c. 7. n. 7. to. 5. (*g*) In Pf. 136. n. 15. to. 4. (*h*) Lib. de Cathechiz. Rudibus c. 27. num. 27. to. 6. (*i*) Epist. 167. ad Hieronym. c. 3. n. 10. to. 2. (*k*) Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. (*l*) Serm. 32. c. 14. n. 14. to. 5. (*m*) Serm. 32. c. 13. n. 13. to. 5. (*n*) Lib. de S. Virginitate c. 38. n. 39.

to. 6. (o) Tract. 9. in Epist. Jo. n. 5. to. 3. (p) In Ps. 141. n. 4. to. 4. (q) Tract. 3. in Epist. Jo. n. 12. to. 3. (r) Serm. 1. in Ps. 68. n. 3. to. 4. (s) In Ps. 79. n. 13. to. 4. (t) In Ps. 63. n. 16. to. 4. (u) L. 14. de Civit. Dei c. 9. n. 1. & 3. to 7.

QUÆSTIO SECUNDA

DE MERITIS INFIDELIUM, ET PECCATORUM.

In quinque Articulos partita.

Hactenùs disputatum est de meritis naturæ lapsæ. Modò nobis est disserendum de meritis Infidelium, & Peccatorum. Rigidiores nostræ ætatis Etherodoxi affirmant homines hujusmodi, ita esse Deo invisos, ut nihil prorsus accipiant divini muneris, quo à perditis corruptisque moribus ad meliorem frugem possint emergere: quin omnia illorum opera peccata esse decernunt, si preces Deo fuderint, si pauperi stipem porrexerint, si sacrificio interfuerint, postremò quidquid boni fecerint, peccato illis vertendum esse, definiunt. Quod autem ferendum minime est, absurdissimam hanc suam sententiam præclarissimo Ecclesiæ lumini S. Augustino appingere, nequaquam dubitant, a qua sanè S. Doctor abhorret, ac discrepat, quàm qui maximè, quod collatis utrinque, atque inter se mutuò commissis ejusdem S. Doctoris sententiis, perspicuum fiet. Quarè in hac secunda de meritis Peccatorum, & Infidelium quæstione, quinque sunt ea, quæ cum nimiam severitatem sapiant, ad trutinam revocabimus. 1. Utrum ex S. Augustino absque superna gratia fieri possit actus moraliter tantùm honestus? 2. Utrum ex S. Augustino omnia Infidelium opera peccata sint? 3. Utrum ex S. Augustino Peccatores in omnibus suis actionibus necessariò peccent? 4. Utrum ex S. Augustino in lege veteri, exceptis Patriarchis, Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratiâ, necessariò peccaverint? 5. Utrum ex S. Augustino

gustino, peractâ confessione, satisfactio pœnalis præcedere semper debeat sacramentalem absolutionem?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex S. Augustino absque superna gratia fieri possit actus moraliter tantùm honestus?

Videtur, quod ex S. Augustino absque superna gratia fieri nequeat actus moraliter tantùm honestus, quod satis exploratum videtur ex sequentibus S. Doctoris sententiis.

I. IN Ps. 31. enar. 2. n. 4. to. 4. *Quid ergò? Debemus nulla opera præponere Fidei, idest, ut antè Fidem quisquam dicatur benè operatus? Ea enim ipsa opera, quæ dicuntur antè Fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, ita mihi videntur esse, ut magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam.*

II. Tract. 10 in Ep. Jo. n. 1. to. 3. *Opera quidem tua præterita, antequàm crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant; si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens; si autem bona videbantur, antequàm crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo, errabas potius, quàm perveniebas. Est ergò nobis & currendum, & in via currendum: qui præter viam currit, inaniter currit, imò ad laborem currit, tanto plus errat, quanto præter viam currit.*

III. Lib. 4. contra Julianum c. 8. n. 51. to. 10. *Nos enim ea, quæ videntur opera bona, dicimus non esse verè bona sinè Fide; quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sinè Fide, quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sinè Fide non potest esse.*

IV. Lib. 14. de Trinitate c. 1. n. 3. to. 8. *Virtutes ipsas, quibus in hac temporali mortalitate prudenter, fortiter, temperanter, & justè vivitur, nisi ad eandem licet temporalem Fidem, quæ tamen ad æterna perducit, referantur, veras non esse virtutes.*

V. Lib.

V. Lib. 5. de Civit. Dei c. 12. n. 4. to. 7. *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino absque superna gratia fieri potest actus moraliter tantum honestus. Sanctus enim Augustinus longè distat ab opposita rigidiori sententia, multòque mitiora prosequitur, quod ex ejusdem placitis, in medium mox producendis, satis perspicuum, atque exploratum fiet.

I. Lib. de Spirit. & Lit. c. 27. n. 47. & 48. to. 10. *Nec moveat, quòd naturaliter eos dixit, quæ legis sunt, facere, non spiritu Dei, non fide, non gratiâ, ... qui nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus.* Habes igitur ex S. Augustino quædam esse Infidelium opera, a vero Dei cultu longè distantium, quæ ad rectam Justitiæ normam, & regulam revocata & dimensa, non solum vituperare non possumus; verum etiam meritò, rectèque laudamus. His operibus Infideles hujusmodi partem aliquam legis a naturâ omnibus insitæ assequntur, & explent; sed id non præstant spiritu Dei, non fide, non gratiâ, quibus supernis donis, hæc agendo, vacui sunt & inanes; sed naturæ viribus id perficiunt, natura duce, & recta ratione magistrâ. Jam verò opera hujusmodi, sic a S. Augustino explicata ac descripta, actus sunt procul dubio consentanei rectæ rationi; adeoque in genere morum honesti. Rursus, auctore Augustino, non sunt actus a superna Dei gratia emanantes, sed ex communi naturæ fonte erumpentes, quod similiter est manifestum; ac proindè ex S. Doctore absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

II. Eodem Lib. de Spir. & Litt. c. 28. n. 48. to. 10. *Non*

usque

usque adeò in Anima humana imago Dei, terrenorum affectuum labe, detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, undè meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere, si hoc est, quod dictum est, quia Gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt; & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est. His positis, ex S. Augustini sententiâ docemur, quod Infideles, in ipsamet impietate vitæ suæ, quædam opera Legis a prima origine nobis impressæ & exculptæ, & sapiunt, & faciunt, eo quod non usquè adeò in Anima humana imago Dei, terrenorum affectuum labe, detrita est, ut penitus deleretur, & evanesceret, nec ulla in ea, velut lineamenta extrema remanserint divinæ imaginis. Hæc autem extrema lineamenta, quæ post communem labem adhuc supersunt in homine, sunt ipsamet ratio recti, æqui, & honesti, nobis innata & ingenita, quam humani generis Artifex Deus in Anima humana, cum primò conderetur, delineavit. Jam verò, opera Legis naturalis, quam ab Auctore naturæ penitùs impressam omnes accepimus, congruentia & consentanea rectæ rationi, facta ab Infidelibus in mediâ vitæ suæ impietate, actus sunt moraliter tantùm honesti, ex supernâ Dei gratiâ minimè proficiscentes, ut per se patet. Quamobrem ex S. Augustino absque superna gratia fieri potest actus moraliter tantum honestus.

III. Rursus ibidem de Judæis: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid Anima rationalis & sentit, & facit; sed Pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas.*

IV. Et iterum eodem loco: *Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Definit igitur Augustinus, quod omnis Ani-

Anima rationis particeps legitimum aliquid, idest, ad normam Legis naturæ, & sentit, & facit, virtute Legis illius naturalis, quæ in unoquoque hominum inest; sed hæc vis naturæ maxime discrepit a virtute gratiæ, quæ sola in aliam vitam sempiternam, atque beatam Pium hominem transfert. Statuit insuper Augustinus, quod in quolibet homine, quantumvis impio, & a vera religione disjunctissimo, nonnulla opera bona plerumque se manifestant, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur: At opera hujusmodi, ex S. Doctore, cum gratiâ careant, nihil penitùs impio prosunt ad sempiternam salutem consequendam. Sed legitimum illud ad normam Legis naturalis expressum, & opera illa bona, rara quidem, non tamen nulla, quæ in homine etiam infideli, & nequissimo, quandòque se manifestant, actus profectò sunt in genere morum honesti; quia vero actus hujusmodi ab impiis, profanis, & Deo invisis hominibus, solius rationis lumine prælucente, & ex impulsu solius naturæ, quæ nihil confert ad sempiternam salutem adipiscendam, eliciuntur, absque gratia superna fiunt. Itaque ex S. Augustino absque gratia superna fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

V. Serm. 349. c. 2. n. 2. to. 5. *Licita est humana caritas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix, vel uxor aliena. Licitam ergò caritatem habete, humana est, sed ut dixi, licita est. Non solùm autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros; omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodò caritatis: Sed videtis istam caritatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos? Hæc ergo humana est.* Approbat hic Augustinus caritatem humanam conjugibus, filiis, fratribus, vicinis, affinibus, amicis exhibitam, quæ non solum apud Christianos, verum etiam apud Paganos, Judæos, Hæreticos invenitur: Licitam prorsus esse decernit, nec solùm ita licitam, ut concedatur; sed etiam ita lici-

licitam, ut, si defuerit, humanæ hujus caritatis defectus, jure, meritòque reprehendatur. Jam verò humanæ hujus caritatis usus actus est moraliter honestus; siquidem ex S. Doctore licita est hæc caritas, tanquam honesta conceditur, cujus vacuitas atque defectus, tanquam inhonestus, jure reprehenditur. At non est actus, qui ex gratia proficiscatur; quandoquidem ex S. Doctoris sententiâ, hujusmodi caritas humanam rationem non excedit, non est suprà hominem, communis est fidelibus, atque infidelibus; adeòque intrà naturæ dominium continetur, neque ad supernam pertinet divinæ gratiæ ditionem. Quamobrem ex S. Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantum honestus.

VI. Lib. 9. de Civit. Dei c. 5. to. 7. *Misericordiam, Stoicorum est, solere culpare; sed quantò honestius ille Stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragii: Longè melius, & humanius, & piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire compellimur? Servit autem motus iste rationi, quando ità præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sivè cum indigenti tribuitur, sivè cum ignoscitur pænitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos, inter vitia numerare, non pudet.* Reprehendit hic Augustinus Stoicorum sententiam, qui a concilio virtutum misericordiam excludebant, atque in vitiorum grege annumerabant. Ciceronis sententiam probat, qui C. Julii Cæsaris virtutes laudibus prosequens: *Nulla*, inquit, *de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Docet misericordiam esse de aliena miseria quemdam in animo nostro dolorem, quo utique, si possumus, subvenire compellimur. Hunc animi motum rectæ rationi obtemperare, affirmat, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sivè cum indigenti tribuitur, sivè cum ignoscitur pœnitenti. Jam vero, ex S. Augustino adversus Stoicos disputante, misericordia, quæ de alienâ mi-

miseriâ quidam est in animo nostro dolor, quo utiquè, si possumus, subvenire compellimur, vel tribuendo indigenti, vel ignoscendo pœnitenti: hujusmodi, inquam, animi motus ex S. Augustino virtus est rectæ rationi subjecta; ac proinde hujus virtutis usus, ex S. Doctore, actus est in genere morum honestus. At necesse sane non est, ut ex gratiâ supernâ semper proficiscatur; siquidem ex S. Augustino in Paganis etiam hominibus non infrequenter misericordia deprehenditur, quod, exemplo Cæsaris Pagani hominis, hac virtute præditi, ex Ciceronis testimonio confirmat, in quo sanè homine misericordia non suprà, sed secundùm naturam erat. Quamobrem ex Sancto Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

VII. Lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianor c. 5. n. 14. to. 10. *Nostra Fides, hoc est, Catholica Fides justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit; quia justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omninò concubitu, etiam conjugali, eleemosynarum largissimus, injuriorum patientissimus, qui non solùm non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis, erogatisque in pauperes, nihil suum propriumque possideat; cum suis tamen istis, velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam, & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat.* Itaque ex S. Augustino potest contingere, ut homo ethnicâ superstitione imbutus, & a vero Dei cultu enormissimè aberrans, pluribus honestis virtutibus, & laudabilibus moribus sit ornatus, qui cultorem eximium se præbeat Justitiæ, Castitatis, Misericordiæ, Temperantiæ, Liberalitatis, Patientiæ: quibus tamen virtutibus, utpote a vera religione disjunctus, nihil proficiat, quominus sempiternum supplicium sit subiturus. Jam verò in hoc homine actus plurimi in genere morum honestissimi minimè desiderantur: conclusi tamen intrà naturæ limites, ad supernum ordinem gratiæ non pertingentes,

quæ sola ad sempiternam beatitatem hominem transfert, & ab æterno supplicio servat incolumem. Quamobrem ex S. Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

VIII. Serm. 150. c. 8. n. 9. to. 5. *Est virtus animi res laudabilis: Prudentia mala, & bona discernens: Justitia sua cuique distribuens: Temperantia libidines cohibens: Fortitudo molestias æquanimiter sufferens. Magna res, laudabilis res. Lauda Stoice quantùm potes; sed dic undè habes? Non virtus animi tui te facit beatum; sed qui tibi virtutem dedit, qui tibi velle inspiravit, & posse donavit.* In superiori sententiâ S. Augustinus Stoicis Philosophis, a Christianâ Religione segregatis, atque hominis felicitatem in virtute animi constituentibus, ultrò concedit ac tribuit præcipuas, & præstantissimas virtutes illas, quæ sunt instar Cardinis, quo innititur, & in quo vertitur tota Honestas, id est, Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, quas virtutes a Deo Auctore naturæ, atque totius honestatis fonte illos hausisse contendit. Jam verò actus illarum virtutum præstantissimarum, quamvis in Infidelibus, omnes profectò naturalis honestatis numeros continebant, solo supernæ gratiæ splendore in Stoicis profanis hominibus carentes, in quos non a Deo Auctore gratiæ, sed a Deo naturæ Auctore virtutes illæ emanabant. Itaque ex Sancto Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

IX. Lib. de Peccato Origin. c. 38. n. 43. to. 10. *Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causâ procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: quia tametsi propter corpus mortis, quod nondum est resurrectione renovatum, sine quodam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non potest fieri; tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.*

X. Lib. de Bono Viduitatis c. 8. n. 11. to. 6. *Nuptiarum igitur bonum semper est quidem bonum; sed in Populo Dei fuit aliquandò legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium, in qui-*

quibusdam verò, humanitatis solatium. Filiorum quippè procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus effectus. Ex commemoratis testimoniis habemus, quod non est in homine improbandus affectus, quo, servato honesto ordine conjugali, liberis procreandis dare operam homo constituit; quinimò nuptialis ipse concubitus, procreandorum filiorum causâ adhibitus, quem finem de se honestum matrimoniales etiam profanarum Gentium indicant tabulæ, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: non quidem bonitate de se supernâ; siquidem piis atque impiis, christianis atque profanis communis est matrimonii usus; sed bonitate morali rectæ rationi consentaneâ, quæ ratio recti & honesti inhonestâ etiam libidine, ad bonum finem suscipiendæ prolis, honestè utitur. Quamobrem ex S. Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

XI. Lib. 4. contra Julian. c. 3. n. 16. to 10. *Quanto ergò tolerabilius illos, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quam eorum tribueres tantummodo voluntati: licet ipsi hoc nesciant, donec, si ex illo sunt prædestinatorum numero, accipiant spiritum, qui ex Deo est, ut sciant, quæ a Deo donata sunt eis.*

XII. Et rursus ibidem sub n. 32. *Ipsa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui benè utitur malis.* Testatur igitur Augustinus, quod in hominibus malis, impiis, & a vero Dei cultu alienis, qui spiritum, qui ex Deo est, nondum per Religionis Christianæ susceptionem acceperunt, opera quædam bona, atque virtutes aliquæ inveniuntur, quæ dona & munera Dei sunt, cui, tanquam honestatis totius naturalis Auctori, sunt referenda. Ex his autem manifestè efficitur, quod auctore Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

XIII. In exposit. Epist. ad Galatas n. 21. to. 3. *Est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine sua præmio relicta non est, ut qui fecerit ea, vivet in eis; unde & ad Romanos*

dicit: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Aliud est ergò non justificari, aliud non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium; nec illa, quæ æternum: qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem indè expectat, visibilemque mercedem; sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia; nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit: secundùm justitiam, quæ in lege est, conversatus qui fuerim sine querela. Jam verò Obedientia, quam Judæorum plerique, in testamento veteri constituti, divinæ legi exhibebant propter fluxam, caducamque mercedem reportandam, quam Deus talibus divinæ legis cultoribus fuerat pollicitus, ex S. Augustino, auctoritatem Apostoli interponente, quædam erat Legalis Justitia, cui non sempiternum atque immortale, sed labile atque mortale præmium erat a Deo constitutum; ac proindè actus erat moraliter tantùm honestus Supernâ Gratiâ, quæ semen est Sempiternæ Gloriæ, inanis prorsus & vacuus. Quamobrem ex S. Augustino absque supernâ gratiâ fieri potest actus moraliter tantùm honestus.

XIV. Lib. de Patientia c. 26. 27. & 28. n. 23. 24. & 25. to. 6. *Si quis non habens caritatem, quæ pertinet ad unitatem spiritûs, & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennarum, & ignis æterni? nullo modo ista culpanda sunt, imò verò, & hæc laudanda patientia est.... Sed meritò quæri potest, utrum & ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ?.... Cavendum est enim, ne fortè, si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi, quibus inest, etiam ad regnum Dei pertinere credantur: Si autem illam donum Dei esse negaverimus, cogamur fateri sine adjutorio, & munere Dei, in voluntate hominis esse posse aliquid ba-*

boni .... Proindè ſicut negandum non eſt, hoc eſſe donum Dei, ita intelligendum eſt, alia eſſe Dei dona filiorum illius Jeruſalem, quæ ſurſum libera eſt mater noſtra; hæc ſunt enim quodammodo hereditaria, in quibus ſumus heredes Dei, coheredes autem Chriſti: alia verò, quæ poſſunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & Schiſmatici, vel Hæretici comparantur ..... Si ergò filii ſumus liberæ Jeruſalem, alia dona exheredatorum, alia intelligamus heredum. Fatetur ergò S Auguſtinus, quod expers eſt omnis culpæ, & inhoneſtatis, omnique vitio caret, quinimo laudanda Patientia ea eſt, quâ Schiſmaticus ab Eccleſiâ præciſus, & caritate Chriſtianâ vacuus, timore ſempiternæ pœnæ, ne Chriſtum neget, horrida quæque ac truculenta ſupplicia, mortemque immaniſſimam forti, erectoque animo tolerat. Hanc autem patientiam donum Dei eſſe naturæ Auctoris, atque a Deo, tanquam a Summo naturalis honeſtatis Capite, fluere Auguſtinus affirmat, in ſede collocat naturalis æqui & honeſti, atque in eo divinorum munerum numero ponit, quæ voluptariis Judæis, Schiſmaticis, Hæreticis conferuntur, concubinarum, non Sponſæ cæleſtis Jeruſalem filiis, a ſempiternâ excluſis hereditate. Itaque ex allegatâ Sancti Auguſtini ſententiâ conficitur, quod abſque supernâ gratiâ fieri poteſt actus moraliter tantùm honeſtus.

Ad primum ergò dicendum, quod ex S. Auguſtino bona opera præcedentia fidem non ſunt plena, ſed inania merito, ſempiternæ felicitatis fæcundo: at non proindè deſinunt eſſe honeſtæ virtutes, ad rectos hominum mores pertinentes. Quemadmodum enim ex S. Doctore magnæ vires, curſuſque celerrimus præter viam, non aſſequitur quidem terminum, quia deflectit a via, ſed non proindè deſinit eſſe curſus celerrimus, viribus magnis arreptus; ita Infidelium virtutes non ceſſant eſſe virtutes, quamvis eos, a recto veræ Religionis tramite aberrantes, ad terminum Beatæ Patriæ non perducant.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quod ex S. Auguſtino opera in ſpeciem bona, quæ fiunt ab Infidelibus, antequam Chri-

Christianæ Religioni nomen dederint, sunt opera inania superno merito, utpote quæ non sunt fructus supernæ gratiæ. His suffultus virtutibus homo Infidelis, nititur quidem rectis naturæ pedibus, quibus sane currit, sed præter viam currit, adeòque nunquam attingit terminum sempiternæ beatitatis, utpote qui a veræ Religionis semitâ exorbitat.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino opera bona sejuncta a Fide, sunt quidem opera bona, utpote consentanea rectæ rationi, sed non sunt opera verè bona. Ea enim apud S. D. dimicantem cum Pelagianis, negantibus gratiæ necessitatem ad opera salutaria, sunt opera vere bona, quæ Deo placent, adeòque merita sunt apud Deum sempiternæ mercedis. Ad hunc supernum ordinem minimè pertinent Infidelium opera, quæ licet bona sint in lineâ rectæ rationis, non sunt tamen bona in lineâ superni meriti, adeòque apud S. D. non sunt dicenda opera verè bona. Hinc l. 12. de Trinitate c. 7. n. 11. to. 8. *Ea*, inquit, *quæ dicuntur opera bona, tanquam filii sunt vitæ nostræ ..... Et hæc opera bona maximè in officiis misericordiæ frequentari solent; opera vero misericordiæ nihil prosunt sive Paganis, sive Judæis, qui Christo non credunt, sive quibuscumque Hæreticis, vel Schismaticis, ubi fides, & dilectio, & sobria sanctificatio non inveniuntur.*

Ad quartum similis est responsio. Ratio enim, quare apud S. D. definitum est virtutes ipsas, quibus in hac temporali mortalitate prudenter, fortiter, temperanter, & justè vivitur, nisi ad eandem licet temporalem fidem, quæ tamen ad æterna perducit, referantur, veras non esse virtutes, eadem est ac superior. Siquidem ex S.D. non sunt dicendæ veræ virtutes, quæ, a fide Christiana sejunctæ, hominem Infidelem, sterilibus hisce virtutibus exornatum, a fluxâ & caducâ ad immortalem sempiternamque vitam minimè transferunt. Sic enim S. D. concludit l. 4. contra Julianum c. 3. n. 19 t. 10. *Si ergò ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem Fides, quæ in Christo est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse vitutes.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino virtus, quæ

quæ ad eum finem non tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est, virtutis quidem rationem attingit, sed rationem veræ virtutis non assequitur. non est igitur vera virtus ex S. D.; quia ad supernum finem beatissimum hominem minimè provehit. Sic S. D. pugnam acerrimam dirimit cum Juliano Pelagiano de Virtutibus Infidelium, quarum exemplo contendebat Julianus solis naturæ viribus, absque munere supernæ gratiæ, posse hominem benè vivere, ac benè operari, atque adminiculo hujuscemodi bonorum operum, meritum supernæ gratiæ sibi comparare. Sic ergò concludit S. D. l. 4. contra Julianum c. 3. n. 33. t. 10. *Quoniam saltem concedis opera Infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere: Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci. Omnia proindè cetera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona; voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundùm te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit, quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ.* Cum autem ex S. D. quædam Infidelium virtutes non aliud vitium præseferant, præter sterilitatem superni meriti, quoad sempiternam felicitatem comparandam, conficitur ex S. D. absque supernâ gratiâ fieri posse actum moraliter tantùm honestum.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Non moveat, quod naturaliter eos dixit, quæ legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide, non gratiâ... qui nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam*

gulam non solùm vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus. (b) Non enim *usque adeo in anima humana imago Dei, terrenorum affectuum labe, detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis, vel sapere, si hoc est, quod dictum est, quia Gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt: & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est.* (c) *Sic &* ipsi *Judæi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit; sed Pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas.* (d) Siquidem *sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* (e) Sed *nostra fides, hoc est, Catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit; quia justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omnino concubitu, etiam conjugali, eleemosynarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solùm non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis, erogatisque in pauperes, nihil suum propriumque possideat, cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat.* (f) *Si quis* autem *non habens caritatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritûs, & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo Schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennarum, &*

ignis

ignis æterni, nullo modo ista culpanda sunt, imo vero & hæc laudanda patientia est .... Sed meritò quæri potest, utrum & ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ? ... Cavendum est enim, ne fortè si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi quibus inest, etiam ad regnum Dei pertinere credantur. Si autem illam donum Dei esse negaverimus, cogamur fateri, sine adjutorio & munere Dei, in voluntate hominis esse posse aliquid boni .... Proinde sicut negandum non est, hoc esse donum Dei, ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum est libera mater nostra; hæc sunt enim quodammodo hereditaria, in quibus sumus heredes Dei, coheredes autem Christi: alia verò, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & Schismatici, vel Hæretici comparantur .... Si ergo filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona exheredatorum, alia intelligamus heredum. (g) *Illæ* igitur, quæ dicuntur *in impiis esse virtutes divino muneri potius, quàm eorum sunt tribuendæ tantummodo voluntati: licet ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sunt Prædestinatorum numero, accipiant Spiritum, qui ex Deo est, ut sciant, quæ a Deo donata sunt eis.* (h) Dicendum est igitur: *Ipsa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui benè utitur malis.* (i) *Est* etiam *quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est, ut qui fecerit ea, vivat in eis: Unde & ad Romanos dicit: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum: aliud est ergo non justificari, aliud non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum; qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem inde expectat visibilemque mercedem; sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia; nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit: secundùm justitiam, quæ in lege est, conversatus qui fuerim sine querela.* (k) Sed remotis Judæis, audiantur Stoici: *Est virtus animi res laudabilis: Prudentia, mala & bona discernens: Justitia,*

sua cuique distribuens: Temperantia, libidines cohibens: Fortitudo, molestias æquanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res. Lauda, Stoice, quantum potes, sed dic, unde habes? Non virtus animi tui te facit beatum, sed qui tibi virtutem dedit, qui tibi velle inspiravit, & posse donavit. (l) *Misericordiam* autem, *Stoicorum est, solere culpare; sed quanto honestius ille Stoicus misericordiâ perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragii: longè melius & humanius, & piorum sensibus accomodatius, Cicero in Cæsaris laude locutus est, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis admirabilior, nec gratior misericordiâ est. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire compellimur? Servit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pænitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet.* (m) Sed præter misericordiam: *Licita est humana caritas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix, vel uxor aliena .... Licitam ergo caritatem habete, humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solùm autem ita licita est, ut concedatur, sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo caritatis. Sed videtis istam caritatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos? Hæc ergo humana est.* (n) Similiter *nuptialis concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causâ procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus; quia tametsi propter corpus mortis, quod nondum est resurrectione renovatum, sine quodam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non potest fieri; tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.* (o) *Nuptiarum igitur bonum,*

num, semper est quidem bonum, sed in Populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam verò, humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus. Hactenus ex S. Augustino.

(a) L. de Spirit. & Littera c.27. n. 47. & 48 to. 10. (b) Ibidem c. 28. n. 48. (c) Ibidem ut supra. (d) Ibidem ut supra. (e) L. 3. contr. 2. Epist. Pelagianorum c. 5. n. 14. to. 10. (f) L. de Patientia c. 26. 27. & 28. n. 23. 24. & 25. to. 6. (g) L. 4. contr. Julianum c. 3. n. 16. to. 10. (h) Ibidem. n. 32. (i) In expositione Epist. ad Galatas n. 21. to. 3. (k) Serm. 150. c. 8. n. 9. to. 5. (l) L. 9. de Civitate Dei c. 5. to. 7. (m) Serm. 349. c. 2. n. 2. to. 5. (n) L. de Peccato originali c. 38. n. 43. to. 10. (o) L. de Bono viduitatis c. 8. n. 11. to. 6.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Augustino omnia Infidelium opera peccata sint?

Videtur, quod ex S. Augustino omnia Infidelium opera peccata sint, cujus placita sunt, quæ hic fidelibus subjiciuntur oculis.

I. LIb. de Gestis Pelagii c. 14. n. 34. to. 10. *Quantumlibet autem opera Infidelium prædicentur, ejusdem Apostoli sententiam veram novimus, & invictam: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

II. Tract. 86. in Jo. n. 2. to. 3. *Non est ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum; quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne, quod non est ex fide, peccatum est?*

III. Lib. 4. contra Julianum c. 3. n. 30. to. 10. Objicienti Juliano Pelagiano: *Si Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex Fide, peccatum est?* S. Augustinus respondet: *Prorsus,*

sis, in quantum non est ex Fide, peccatum est: Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.

IV. Lib. 4. contra Julianum c. 3. n. 31. & 32. to. 10. *Si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri: quod si & ipsa* misericordia *per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur; & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit; qui autem malè facit aliquid, profectò peccat: ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui benè utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate; qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, idest, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.*

V. Lib. 4. contra Julian. c. 3. n. 21. to. 10. *Noveris itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

VI. Iterum Lib. 4. contra Julianum c. 3. n. 21. to. 10. *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non rectè fine peccatum est.*

VII. Lib. 19. de Civitate Dei c. 25. to. 7. *Virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius, quàm virtutes: nam licet a quibusdam tunc veræ, & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & superbæ sunt, & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.*

VERA

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino non omnia Infidelium opera peccata sunt; quandoquidem certiores, magisque exploratæ Sancti Doctoris sententiæ sic parti oppositæ adstipulantur.

I. Lib. 2. de moribus Manichæor. c. 13. n. 28. to. 1. *Possunt & Catholici Christiani vestram a vino, & carnibus abstinentiam jumentis, & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare; sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præproperè faciam, sed discutiam primò, quo ista fine faciatis. Jam enim constat inter nos, ut opinor, hujuscemodi moribus nihil aliud esse quærendum. Si ergo parcimoniæ gratiâ, & coërcendæ libidinis, qua escis talibus, & potu delectamur, & capimur: Audio, & probo.* Ex superiori Augustiniano monumento cognoscimus, quod Manichæi Infideles a Christiano populo, divino cultui addicto, longè remoti; quandoquidem ne lustralibus quidem Christiani baptismi aquis veræ Dei Religioni initiabantur, a vino & carnibus abstinebant. Abstinentiam hujusmodi apud Manichæos usitatam Augustinus approbat, ab omni peccato vindicat, atque inter honestas virtutes recenset, si ab usu carnis, & vini se continebant, parsimoniæ & coërcendæ libidinis caussâ, quod in eorum erat positum potestate. Ex quibus eruitur S. Augustinum in ea fuisse sententia, quæ docet, non omnia Infidelium opera vitiata esse peccatis.

II. Lib. 1. de Peccat. meritis & remiss. c. 22. n. 31. to. 10. *Unde fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat: & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari Gratia Christiana non possit?* Infertur igitur ex S. Augustino quandoque contingere, ut homo inter barbaras gentes natus, atque enutritus, incultæ regionis incola, & ab orbe Christiano disjunctissimus, adeòque veræ Religionis prorsus

ſus ignarus, tamen ab ineunte ætate vitam honeſtiſſimam agat, a turpibus vitiis abhorreat, contrariaſque virtutes excolat, & conſectetur. Jam verò hominis hujus Infidelis opera non ſolùm ab omni prorſus peccato vacant, ſed præclariſſimarum etiam virtutum ſplendore nobilitantur. Quamobrem ex Sancti Auguſtini ſententiâ non omnia Infidelium opera peccata ſunt.

III. Epiſt. 164. ad Evodium c. 2. n. 4. to. 2. *Multos etiam, quorum litteras non habemus, ſed in illorum litteris didicimus, ſecundùm quemdam modum laudabiles vitas, ut excepto Dei cultu, in quo erraverunt colentes vana, quæ publicè colenda fuerant inſtituta, & creaturæ potius, quàm Creatori ſervientes, in ceteris moribus parſimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, mortis pro Patriæ ſalute contemptûs, ſervatæque fidei, non ſolùm civibus, verùm & hoſtibus imitandi, meritò proponantur.*

IV. Epiſt. 217. ad Vitalem c. 3. n. 10. to. 2. *Itaque aliquos eorum* infidelium, *per quos amplius* diabolus *decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quaſque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclarè glorioſiſſimèque vixerunt.*

V. Lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. n. 22. to. 6. *Non videmus quoſdam homines utriuſque ſexûs, in conjugali caſtitate viventes ſine querela, & tamen vel Hæreticos, vel Paganos?* Quamobrem ex S. Auguſtino extant documenta certa, ex antiquis monumentis petita, & veterum litteris conſignata, quæ docent, non paucos homines floruiſſe, præcipuè verò in gente Romana, a vero Dei cultu prorſus abſonos & abſurdos, atque ſacrilegæ falſorum Numinum ſuperſtitioni devotos, ita honeſtis ſervatæ fidei, pudicitiæ conjugalis, fortitudinis, temperantiæ, continentiæ, frugalitatis, ſobrietatis virtutibus claruiſſe, ut, excepto vero Dei cultu, nihil ad memoratorum hominum honeſtatem accedere potuiſſe videatur. Itaque, referente S. Auguſtino, non omnia Infidelium opera peccata ſunt.

VI. Tract. 45. in Jo. n. 2. to. 3. *Dicant ergo Pagani: Benè vivimus. Si per oſtium non intrant, quid prodeſt eis, unde glo-*

glorientur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere; nam cui non datur semper vivere, quid prodest benè vivere? Quia nec benè vivere dicendi sunt, qui finem benè vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt.

VII. Lib. contra mendacium ad Consentium c. 17. n. 34. to. 6. *Proinde Raab in Jerico, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, ubi potuit, occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Jerusalem civibus imitanda laudatur.*

VIII. Lib. de unico baptismo contra Petilianum c. 4. n. 5. to. 9. *De ipsis Gentilibus, Idolorumque cultoribus, multa atque à nobis diversitate distantibus, nihil aliud nobis demonstrat Apostolus, nisi ut in ipsis quoque ita quidquid pravum est corrigamus, ut, quod fortè rectum est, approbemus.* Docet igitur 1. Augustinus, quod non desunt Pagani, a recto Christianæ Religionis tramite aberrantes, qui benè vivant, quorum tamen proba & honesta vita nihil eis prodest ad obtinendam sempiternam vitam. Cum enim ultimum bene vivendi finem, qui vita est sempiterna, vel cæcitate nesciant, vel superbo fastu contemnant, etsi benè vivant bonitate consentaneâ rectæ rationi, hæc bonitas nullius apud Deum momenti est, quoad ultimum hominis finem beatissimum assequendum; proinde quamvis benè morati faciant, quod ad normam rectæ rationis decet, quod rectum est, quod honestum: pro nihilo est habendum, quod sic bene vivant, quibus non dabitur, quod beatè vivant: & hac solum de causâ Infideles, usitato apud Christianos loquendi more, non bene vivere sunt dicendi, qui beatâ vitâ non sunt donandi, quæ finis est ultimus benè vivendi. Docet II. S. D. argumento petito ab exemplo, quod Raab impudica fæmina, & falsorum Numinum cultrix, propter honestas quasdam virtutes, quas in eâ laudando commemorat, Prudentiam, Fortitudinem, Benignitatem, Misericordiam, Hospitalitatem, quarum virtutum specimen non

ex-

exiguum exhibuit, etiam Ecclesiæ filiis, & supernæ Jerusalem futuris civibus imitanda jure meritòque proponitur. Docet III. quod ex Apostolicâ institutione quando Infideles ab impia falsorum Numinum superstitione ad piam unius veri Dei Religionem se conferunt, si quid in eis recti & honesti, quod ad mores pertinet, ut contingere quandoque solet, deprehenderimus, retinendum, atque probandum esse, non autem rejiciendum, nec reprobandum. Ex quibus probè cognitis, & animo comprehensis cum S. Augustino concludimus, quod non omnia Infidelium opera peccata sunt.

IX. Serm. 141. c. 4. n. 4. to. 5. *Filius Dei, qui semper in Patre veritas, & vita est, assumendo hominem, factus est via. Ambula per hominem, & pervenis ad Deum.... Aliquando ipsi benè ambulantes, præter viam currunt. Invenies quippe homines benè viventes, & non Christianos. Benè currunt, sed in via non currunt. Quanto plus currunt, plus errant, quia a via recedunt. Si autem tales homines perveniant ad viam, & teneant viam, O quanta securitas est! Quia & benè ambulant, & non errant. Si autem non tenent viam, quantumvis benè ambulent, Heu quàm dolendum est! Melius est enim in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.* Semotâ paululum allegoriâ: Sunt homines ex S. Augustino benè viventes, sed non Christiani. Benè vivunt honestate humana, sed non vivunt in Religione Christiana. Quanto plus benè vivunt, plus errant; quia honestate vitæ suæ elati, a veræ religionis via, quam contemnunt, magis aberrant. Quod si tales homines ad veræ Religionis cognitionem perveniant, & Christi Domini Ecclesiam teneant, plenam assequuntur ex honestâ vitâ securitatem, propter expletam atque perfectam Religionis Christianæ honestatem. Si autem Christianam Religionem non assequantur, dolendum est maximè de vitæ honestate, quam prædicant. Melius est enim ex S. Doctore in Religione Christianâ, minus benè vivendo, claudicare, quàm extra Religionem Christianam, melius vivendo, fortiter ambulare. Quandoquidem longè facilius est Christianum hominem minus honestum, conscientiæ stimulis excitatum, ab inhonestâ vitâ se se eri-

eripere, quam Paganum hominem magis honestum, honestæ vitæ alto sopore gravatum, Christianam Religionem suscipere. Ex hac autem S. Augustini disceptatione fit palam S. Doctorem in eo convenire, quod non omnia Infidelium opera peccata sunt.

X. Serm. 177. n. 2. to. 5. *Turpe est, & nimis pudendum & dolendum, si cultores Idolorum inventi sunt avaritiæ domitores; & cultor Dei unius ab avaritia subjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus sanguis sit pretium.*

XI. Lib. 1. de Civitate Dei c. 24. to. 7. *Inter omnes suos laudabiles, & virtutum insignibus illustres viros, non proferunt Romani meliorem* Attilio Regulo, *quem neque felicitas corruperit; nam in tanta victoria mansit pauperrimus: nec infelicitas fregerit; nam ad tanta exitia revertit intrepidus.*

XII. In Psal. 31. Enar. 2. n. 2. to. 4. *Multi gloriantur de operibus, & invenis multos Paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua.... Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inveniatur aliquid in vita mea, quod reprehendatur, & qui reprehenderit, faciat Christianum. Habet gloriam, sed non ad Deum.* Habemus igitur ex S. Augustino non defuisse inter Idolorum cultores, qui numeris omnibus absolutam honestatis formam exhiberent, vitâ integri, atque ab omni scelere puri, vitiorum non solum osores, verùmetiam domitores, videlicet, avaritiæ, luxuriæ, injustitiæ: qui honestate summum bonum metirentur, atque ad honestatem omnia referrent: populari quidem famâ gloriosi, quamvis, utpote veræ Religîonis expertes, nullam apud Deum gloriam fuerint consecuti. Quos inter Antiqui Romani virtutum insignibus illustres viri extiterunt, e quorum numero M. Attilius Regulus Temperantiæ, ac Fortitudinis præclarissimum posteritati monumentum reliquit, cujus in virtute constantiam nec corruperunt prospera, nec fregerunt adversa. Ex his autem Sole ipso illustrior mens Augustini se manifestat, arbitrantis non omnia Infidelium opera depravata esse peccatis.

XIII. Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram Pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo, & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera Religione virtutes, ut intelligeretur, hac addita, fieri homines cives alterius civitatis, cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas.*

XIV. Epist. 144. ad Cirtenses n. 2. to. 2. *Xenocrates Polemonem, ut scribitis, & nos ex illis litteris recordamur, de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, verùm etiam tunc ebrium, ad mores alios repente convertit. Quamquam ergo ille, sicut prudenter & veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed Divino. Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo Creatore, ac perfectore naturæ, quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius, vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri? ..... Polemo ergo si ex luxurioso continens factus, ita sciret, cujus esset hoc donum, ut eum, abjectis superstitionibus Gentium, piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.* In superioribus S. Augustini sententiis continetur, quod primi Romanæ Reipublicæ conditores, servatores, amplificatores, quamvis veræ Pietatis in Deum, pios cultores suos sempiternâ civitate donantem, forent expertes, naturali tamen probitate, virtutibusque moralibus floruerunt. Harum civilium virtutum merito, caussâ, & ratione.

tione.

tione Deus, qui nullum opus bonum quamvis naturale congruâ remuneratione vacuum dimittit, diuturnitate, amplitudine, ſplendore, atque opibus Romanum locupletavit imperium. Præterea Polemonem hominem Infidelem, veræ Religionis exſortem, Xenocrates Philoſophus, de vitæ frugalitate diſputans, ab impudicitia, ebrietate, luxuriâ, intemperantiâ, ad frugalitatem, modeſtiam, temperantiam, & ſobrietatem revocavit. Hujuſmodi honeſtas virtutes, probos mores, & bona Polemonis opera, naturæ Auctoris Dei naturalia dona fuiſſe Auguſtinus demonſtrat. His moribus, atque virtutibus inſtructus Polemo talis evaſit, ut nihil amplius præter veram pietatem, ſincerumque Dei cultum, ad ſempiternam vitam adipiſcendam in eo deſideraretur. Res igitur eſt aperta, quod ex S. Auguſtino non omnia Infidelium opera peccata ſunt.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Doctore quantumlibet opera Infidelium prædicentur: omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, videlicet, omne, quod eſt ex fine pravo & vitioſo non præſcripto, ſed interdicto a fide, quæ per dilectionem boni & honeſti operatur, peccatum eſt. In hac enim ſententià illa Infidelium opera reprobat S. Doctor, quæ ſpeciem quidem honeſtam præſeferebant, cum pravo & inhoneſto fine intus eſſent vitiata. Frequens enim erat apud priſcos infideles heroas, ut virtutes, quas oſtentabant, ad aucupandas humanas laudes, atque plauſus referrent. Opera ergo infidelium in ſpeciem bona, non ſemper ac neceſſariò, & ſuâpte naturâ depravata erant ex S. Auguſtino, ſed frequenter, per accidens, & ex prava plurimorum voluntate, inanis gloriolæ cupidâ. Hinc in Pſ. 118. ſerm. 12. n. 2. to. 4. *In qua vanitate,* inquit, *præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc ſæculo nominati ſunt, multùmque laudati in civitatibus Gentium, quærentes non apud Deum, ſed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, juſtèque viventes, ad quam pervenientes, perceperunt mercedem ſuam vani vanam.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino, diſceptante cum Pelagianis, nulla ſunt bona opera præcedentia fidem,

fidem, solius naturæ viribus comparata, quæ mercantur electionem divinam sive ad gratiam justificantem, sive ad gloriam beatificantem; nullum est enim hujusmodi bonum opus ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne, quod non est ex fide, peccatum est: videlicet: omne, quod non congruit regulæ fidei, vel malum meritum est, vel bonum meritum non est. Hinc tract. 10. in Epist. Jo. n. 1. to. 3. hæc habet S. Doctor: *Opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant; si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens; si autem bona videbantur, antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo, errabas potius, quam perveniebas. Est ergo nobis & currendum, & in via currendum: qui præter viam currit, inaniter currit, imo ad laborem currit. Tanto plus errat, quanto præter viam currit. Quæ est via, per quam currimus? Christus dixit: Ego sum via. Quæ patria, quò currimus? Christus dixit: Ego sum veritas. Per illum curris, ad illum curris, in ipso requiescis.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino, si Gentilis nudum operuerit, in quantum non est ex fide, videlicet, in quantum non congruit regulis fidei præscribentis, ut de bono opere non nobis, sed Deo gloriam adscribamus, peccatum est: Non quia per se ipsum factum, ut prosequitur S. Doctor, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino, sed in seipso gloriari, solus impius negat esse peccatum. Post acrem ac diuturnam concertationem de bonis operibus Infidelium toto capite 3. libri quarti adversus Julianum Pelagianum, duo statuit S. Doctor, quibus pugnæ finem imponit, ac receptui canit: videlicet: Bona Infidelium opera vel esse peccata, quia malâ eorum volontate vitiantur: vel esse sterilia, inania, & vacua merito sempiternæ mercedis. Audiatur S. Doctor loco allegato sub num. 33. *Sed breviter accipe, ne fortè cum in rebus ipsis tantùm erres, quantùm errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige, quod ait Dominus: si oculus tuus nequam est, totum*

cor-

corpus tuum tenebrosum erit; si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: & hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque, quod facit; & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certè quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci. Omnia proinde cetera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis, atque impia non est bona. Dicantur secundùm te hujusmodi voluntates arbores bonæ: sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ; sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt & bonæ, te auctore, te laudatore, si vis etiam plantatore: Dum tamen illud, velis nolis, obtineam, quod amor mundi, quo quisque amicus est hujus mundi, non est a Deo: amorque fruendi quibuscumque creaturis sine amore Creatoris, non est a Deo: amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre, per Jesum Christum, cum Spiritu Sancto.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino loco producto: Ipsa misericordia per seipsam, quæ ex naturali commiseratione oritur, opus est bonum. Quod si contingat hominem infidelem, quod frequentissimè contigisse concedimus, ex elatione & jactantia animi, bonum Misericordiæ opus referre vel ad humanas laudes & populi plausus extorquendos, vel ad quoscunque alios inhonestos fines, tunc procul dubio, quod est, de se opus bonum, ex pravo fine pravum opus evadit. Hinc S. Doctor concludit loco citato: *Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipsorum esse, sed illius,*

qui

qui benè utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. At potest contingere, ut homo infidelis opus misericordiæ exerceat ad sublevandam miseriam inopis, & in hoc fine conquiescat, nec aliud quidpiam inquirat, quin ne cogitet quidem. Profectò opus hujusmodi nullo vitio erumpit infectum.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet; sed propter hoc facit, propter quod facere non debet, peccare convincitur; siquidem non officiis, sed finibus a vitiis sunt discernendæ virtutes: ubi S. Doctor eas perstringit Paganorum virtutes, quæ ex turpi fine vitium contrahebant. Quare Julianum Pelagianum ex solis officiis, nullâ habitâ ratione finis, naturales virtutes metientem, sic S. Doctor adoritur loco adducto num. 19. *An placet tibi, ut veras virtutes avarorum esse dicamus, cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirendâ pecuniâ sæva atque aspera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates, quibus sumptuosè vivitur, temperanter sobrièque castigant, cum abstinent ab alieno, & de suo sæpè amissa contemnunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis & judiciis plura consumant?*

Ad sextum dicendum similiter, quod ex S. Augustino finis pravus & inhonestus est quædam veluti virtutis pestis, quæ omnia bona opera veneno inficit, quod exemplo satis apposito explicat S. Doctor eodem libr. 4. contra Julianum c. 3. n. 18. & 19 to. 10. per hæc verba: *Hi enim quando in agone decertant, ab omnibus continent, ut corruptibilem coronam accipiant, a cujus tamen vana cupiditate non continent; hæc enim cupiditas vana, ac per hoc prava, vincit in eis, & frenat alias pravas cupiditates, propter quod dicti sunt continentes... Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes.*

Ad septimum dicendum, quod ex S. Augustino quando Anima ne implicitè quidem ad Deum, sed ad seipsam explicitè re-

refert virtutes, per quas imperat corpori, & vitiis, sibi plaudendo de virtutibus suis, tanquam de bonis suis, quasi ipsæ sibi sufficiant ad beatitatem assequendam, tunc virtutes hujusmodi inflatæ ac superbæ sunt, & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt: *Sicut enim*, prosequitur S. Doctor loco citato, *non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo & præclaro Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera Religione virtutes, ut intelligeretur, hac addita, fieri homines cives alterius civitatis, cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas.* (b) *Multos etiam, quorum litteras non habemus, sed in eorum litteris didicimus, secundùm quemdam modum laudabiles vitas, ut excepto Dei cultu, in quo erraverint, colentes vana, quæ publicè colenda fuerant instituta, & creaturæ potius, quàm Creatori servientes, in ceteris moribus parsimoniæ, continentiæ, castitatis, sobrietatis, mortis pro Patriæ salute contemptûs, servatæque fideï, non solùm civibus, verùm & hostibus imitandi meritò proponantur.* (c) *Hinc videmus quosdam homines utriusque sexûs, in conjugali castitate viventes sine querela, & tamen vel Hæreticos, vel Paganos.* (d) *Per quos tamen* diabolus *decipere affectans, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quasque gentes, præcipuèque in Gente Romana, qui præclarè gloriosissimèque vixerunt.* (e) Sed *inter omnes suos laudabiles, & virtutum insignibus illustres viros non proferunt Romani meliorem* Attilio

Re-

Regulo, *quem neque felicitas corruperit; nam in tanta victoria mansit pauperrimus: nec infelicitas fregerit; nam ad tanta exitia revertit intrepidus.* (f) Quare *turpe est, & nimis pudendum & dolendum, si cultores Idolorum inventi sunt avaritiæ domitores, & cultor Dei unius ab avaritia subjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus sanguis fit pretium.* (g) Fit enim *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat: & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari Gratia Christiana non possit.* (h) *Dicant ergo Pagani bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis, unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere; nam cui non datur semper vivere, quid prodest benè vivere? Quia nec benè vivere dicendi sunt, qui finem benè vivendi, vel cæcitate nesciunt, vel elatione contemnunt.* (i) *Filius* quippe *Dei qui semper in Patre veritas & vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, & pervenies ad Deum .... Aliquando ipsi benè ambulantes, præter viam currunt. Invenies quippe homines benè viventes, & non Christianos. Benè currant, sed in via non currunt, quanto plus currunt, plus errant; quia a via recedunt, si autem tales homines perveniant ad viam, & teneant viam, O quanta securitas est! Quia & benè ambulant, & non errant; si autem non tenent viam, quantumvis benè ambulent, Heu quam dolendum est! Melius est enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare.* (k) *Multi* enim *gloriantur de operibus, & invenis multos Paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua..... Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inveniatur aliquid in vita mea, quod reprehendatur, & qui reprehenderit, faciat Christianum. Habet gloriam, sed non ad Deum* (l) De his igitur *Gentilibus, Idolorumque cultoribus, multa utique a nobis diversitate distantibus, nihil aliud nobis demonstrat Apostolus, nisi ut in*

ipsa

ipsis quoque, ita quidquid pravum est, corrigamus, ut quod fortè rectum est approbemus. (m) Sic *Raab in Jerico, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, ubi potuit, occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Jerusalem civibus imitanda laudatur* (n) Sic etiam Polemo *ex luxurioso continens factus, si sciret cujus esset hoc donum, ut eum, abjectis superstitionibus gentium, piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem; verùm etiam ad futuræ immortalitatem valeret.* (o) *Xenocrates enim Polemonem, de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum; verùm etiam tunc ebrium ad mores alios repente convertit. Quamquam ergo ille non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm a dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo Creatore ac perfectore naturæ, quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius, vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cùm carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri?* Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Epist. 138. ad Marcellinum c. 3. n. 17. to. 2. (*b*) Epist. 164. ad Evodium c. 2. n. 4. to. 2. (*c*) L. 1. ad Simplicianum quæst. 2. n. 22. to. 6. (*d*) Epist. 217. ad Vitalem c. 3. n. 10. to. 2. (*e*) Lib. 1. de Civit. Dei c. 24. to. 7. (*f*) Serm. 177. n. 2. to. 5. (*g*) L. 1. de Peccat. meritis & remissione c. 22. n. 31. to. 10. (*h*) Tract. 45. in Jo. n. 2. to. 4. (*i*) Serm. 141. c. 4. n. 4. to. 5. (*k*) In Ps. 31. enar. 2. n. 2. to. 4. (*l*) Lib. de unico Baptismo contra Petilianum c. 4. n. 5. to. 9. (*m*) Lib. contra mendacium ad Consentium c. 17. n. 34. to. 6. (*n*) Epist. 144. ad Cirtenses n. 2. to. 2. (*o*) Ibidem.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Augustino Peccatores in omnibus suis actionibus necessariò peccent?

Videtur, quod ex S. Augustino Peccatores in omnibus suis actionibus necessariò peccent; quæ enim hic adjunguntur S. D. sententiæ propositam definitionem sic tueri videntur.

I. IN Ps. 108. n. 9. to. 4. *Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.*

II. Serm. 39. c. 4. n. 6. to. 5. *Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideo das, ut liceat tibi semper impunè peccare, non Christum pascis, sed Judicem corrumpere conaris. Ergo ad hoc facite eleemosynas, ut vestræ orationes exaudiantur, & adjuvet vos Deus ad vitam in melius commutandam. Et qui commutatis eandem vitam, in melius commutate, ut per eleemosynas, & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.*

III. In Enchiridio c. 75. n. 20. to. 6. *Sanè qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua, eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

IV. In Enchiridio c. 77. n. 20. to. 6. *Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate, ac flagitiorum nequitià permanendi. Non solùm enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantùm si possint impunè, versari.*

VERA

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino Peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant; siquidem S. Doctor pluribus disertisque sententiis, quas hic subjicimus, peccatorum preces, eleemosynas, aliaque pietatis opera approbat atque commendat, eosque ad pros hujusmodi actus exercendos, utpote honestos, utiles, ac Deo gratos, vehementer acuit atque incendit.

I. Lib. 2. contra Parmenianum c. 8. n. 17. to. 9. *Ipse autem Dominus, cum in uno templo orarent Pharisæus, & Publicanus, Publicanum confitentem peccata sua magis justificatum dixit, quàm Pharisæum jactantem merita sua, cui similes isti sunt. Quamquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen ut justificaretur, peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus, justificatus est, ut desineret esse peccator. Non utique desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator. Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri; sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri, veritas testis est.*

II. Tract. 44. in Jo. n. 13. to. 3. *Nam & peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens, diceret: Domine propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem.*

III. Serm. 135. c. 5. n. 6. to. 5. *Sed fortè fratres spiritales rogant, & exaudiuntur, quia non sunt peccatores. Quid faciunt carnales? Quid faciunt? Peribunt? Deum non rogabunt? Absit. Da mihi illum Publicanum. Veni, Publicane, sta in medio: ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem... Qui dixit: Propitius esto mihi peccatori, verum dixit, an falsum? Si verum dixit, peccator erat, & exauditus est, & justificatus est. Quid est ergo, quod dixisti tu, cui Domini oculos aperuit? Scimus, quia peccatores Deus non exaudit. Ecce peccatores Deus exaudit. Sed lava interiorem faciem*

R 2

ciem tuam. Fiat in corde, quod factum est in facie tua, & videbis, quia peccatores Deus exaudit. Fefellit te imaginatio cordis tui.

IV. Lib. 1. Retract. c. 3. n. 3. to. 1. *Nec illud mihi placet, quod cum dixissem*, Lib. 2. de beata vita c. 20 to. 1. *Summa opera danda est optimis moribus: mox addidi: Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit, benè autem viventes facillimè exaudiet; sic enim dictum est, tanquam Deus non exaudiat peccatores, quod quidam dixit in Evangelio, sed ille, qui nondum cognoverat Christum, a quo fuerat jam illuminatus in corpore.* Itaque ex S. Augustino absona, & absurda sententia illa est, quæ docet, nullum peccatorem a Deo exaudiri, rogatumque Deum nihil amplius supplici peccatori rependere, præter damnationem, atque supplicium. Non enim justi solùm & probi homines, verùm etiam improbi & peccatores honestè & licitè preces ad Deum fundunt, & voti compotes, propitio Deo, non infrequenter fiunt. In contrario autem errore versabatur cæcus ille a nativitate, cujus oculos Jesus aperuit, quando dixit, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Cum autem huic falsæ opinioni videretur adhæsisse Augustinus Lib. 2. de Beatâ vitâ cap. 20. tom. 1. ubi dixerat, *Summa opera danda est optimis moribus, Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit, bene autem viventes facillimè exaudit*, perindè ac si Deus quaslibet peccatorum preces improbaret, absurdam opinionem censoria animadversione S. Doctor castigat Lib. 1. Retract. cap. 3. num. 3. tom. 1. Docetque Deum se præbere benignum peccantium etiam precibus hominum, quod pluribus locis repetit exemplo sæpius producto Publicani illius evangelici, qui peccator erat, peccator orabat, peccator nequitiam suam fatebatur, peccator pectus suum percutiebat, peccator præ animi demissione defixos ad terram oculos detinebat, & peccator precibus suis Deum exorabilem expertus est. Quamobrem ex S. Augustino peccatorum oratio non est novum peccatum; &, quod Deus illis concedit, non est novum in eos judicium; ac proinde ex S. D. Peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant.

V. Serm

V. Serm. 135. c. 6. n. 7. to. 5. *Incumbite ergò orationibus peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut deleantur, orate ut minuantur, orate, ut vobis proficientibus ipsa deficiant, tamen nolite desperare, & peccatores orate.*

VI. In Ps. 129. n. 1. to 4. *Cum quisque viderit se quotidianis peccatis obrutum, acervis quibusdam, & molibus quibusdam iniquitatum premi, si dictum illi fuerit, ut Deum roget, irridet .... Sed Dominus Jesus Christus, qui nec profunda vestra contempsit, qui usque ad istam vitam venire dignatus est, promittens remissionem omnium peccatorum, etiam de profundo excitavit hominem, ut clamaret de profundo sub molibus peccatorum, & perveniret vox peccatoris ad Deum, unde clamantis, nisi de profundo malorum?*

VII. Serm. 351. c. 5. n. 12. to. 5. *Si jam de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Noli contemnere, noli desperare, cl[ama] etiam de profundo ad Dominum .... De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt.*

VIII. In Ps. 26. Enarr. 5. n. 10. t. 4. *Audes a Deo aliquid petere, peccator inique? Audes sperare aliquam contemplationem Dei te habiturum infirme, immundo corde? Audeo, inquit, non de me, sed de ipsius delectatione: non de mea præsumptione, sed de illius pignore .... Audeat ergo præsumere Anima humana, & unam illam petere. Secura habebit, secura possidebit.* Ex his autem apparet, quod non est peccatoribus desperandum, sed assiduis precibus est incumbendum, quod orandus ab eis Deus est, ut, quæ contraxerunt peccata, minuantur, deleantur, penitúsque deficiant. Nulli enim homini, quamvis nequissimo, ex S. Doctore abjiciendus est animus, tanquam desperatis penitùs rebus, etiamsi peccatis fuerit obrutus, & acervo iniquitatum oppressus, atque in imam scelerum voraginem prolapsus. Si enim ex hac nequitiæ profunditate exclamaverit, si preces ad Deum porrexerit, procul dubio facilem Deum, atque proclivem precibus suis habebit, quod Ninivitis, nequissimis sane hominibus, contigisse ex litteris sacris

eris accepimus. Audeat ergo peccator, quamvis infirmus, iniquus, conscientiâ sceleribus maculatâ, & pollutâ, audeat benè sperare, & petere a Deo immortalia bona, certus atque securus ea consequendi, si ritè speraverit, atque petierit. Quare ex his Augustinianis cohortationibus, atque incitamentis ad honestiorem vitam ineundam conficitur, quod ex S. Augustino peccatorum oratio non est novum peccatum: &, quod Deus illis concedit, non est novum in eos judicium, adeoque ex S. Doctore peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant.

IX. In Ps. 108. n. 9. to. 4. *Si per Christum oraret* Judas, *indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet, misericordiam speraret; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.*

X. Serm. 80. n. 3. to. 5. *Si orat homo, ut ejiciat dæmonium alienum, quanto magis ut ejiciat avaritiam suam? Quanto magis ut ejiciat vinolentiam suam? Quanto mag ut ejiciat luxuriam suam? Quanto magis ut ejiciat immunditiam suam? Quanta sunt in homine, quæ si perseveraverit, non admittunt ad regnum Cælorum?*

XI. Serm. 232. c. 7. n. 8. to. 5. *Abundant hic pœnitentes. Quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes: & eunt orare pœnitentes. Discutio pœnitentes, & invenio malè viventes .... Aliqui ipsi sibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt. Et qui sibi petierunt, hoc volunt facere, quod faciebant. Et qui a nobis excommunicati, in pœnitentiæ locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis.*

XII. Serm. 351. c. 5. n. 12. to. 5. *Circumstant ergo nos & præcepta rectè faciendi, & exempla non tantum rectè facientium, sed etiam pœnitentium ad recipiendam salutem, quæ fuerat amissa peccando. Sed fac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum?* Definit igitur Augustinus, quod si Judas, patratâ impiâ, atque sacrilegâ proditione,

tione, indulgentiam rogasset, veniam obtinuisset, nec actus desperatione laqueo cervicem inseruisset: quod homo vitiis corruptus ac depravatus divinam opem implorare debet, ut vitia sua exuat, ut avaritiam, vinolentiam, luxuriam, immunditiam abjiciat, quæ impedimento sunt, quominus cæleste regnum adipiscatur: quod peccatoribus propter immania ac manifesta crimina excommunicatis, & inter publicos pœnitentes rejectis, sapienter, ac religiosè præcipitur, ut precibus assiduis vacent, quibus veniam a Deo impetrent. Si enim flagitiosus homo pro recuperanda salute, quam peccando amiserat, Dei Clementiam imploret, futurum est, ut Deus exoratus ignoscat. Quod si contendas incertum esse, utrum sit apud Deum misericordiam consecuturus, profectò nullius commodi decremento minuitur, supplicibus precibus Deum obsecrando. Quamobrem ex S. Augustino oratio impiorum non est novum peccatum: &, quod Deus illis concedit, non est novum in eos judicium; ac proinde ex S. Doctore peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant.

XIII. Lib. 2. contra Cresconium Donatistam c. 12. n. 15. to. 9 de variâ impiorum expiatione: *Mundantur & verbo veritatis ab illo qui ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Mundantur & sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Mundantur & eleemosynis ab illo, qui ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsâ, quæ supereminet omnibus caritate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Caritas cooperit multitudinem peccatorum; quæ una si adsit, omnia illa rectè fiunt; si autem desit, illa omnia frustra fiunt.*

XIV. Serm. 388. n. 1. to. 5. *Tacet Dominus noster, prænuntians nobis judicium suum, omnia cetera recta facta justorum, & solas eleemosynas commemorare dignatus est. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleemosynæ increpandum esse judicavit, non nisi ad nos commonendos. Quare hoc? Quia omnia crimina eleemosynis redimuntur. Ideo illam laudavit fœcunditatem, istam culpavit & damnavit ariditatem.*

XV.

XV. Lib. 21. de Civit. Dei c. 27. n. 2. & 3. to. 7. *Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut, cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur; non ut in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem Dominus & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet, quantùm valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata .... Ita parum est eleemosynas quantaslibet facere pro quocumque scelere, & in consuetudine scelerum permanere.*

XVI. Tract. 12. in Jo. n. 14. to. 3. *Currite, ne tenebræ vos comprehendant, fratres mei: evigilate ad salutem vestram, evigilate, dum tempus est: nullus retardetur a templo Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus avocetur ab oratione continua, nullus a solita devotione fraudetur. Evigilate ergo, cum dies est: lucet dies, Christus est dies. Paratus est ignoscere, sed agnoscentibus.* Ex commemoratis igitur S. Augustini placitis habetur, quod nefaria hominum crimina, non solum lustralibus Christiani lavacri aquis expiantur, verùm etiam obauditis divinis monitis, liberalibus in pauperes largitionibus, frequentatis caritatis operibus, quibus consulimus indigentibus. Hæc autem in tanto pretio sunt apud Deum, ut non alia bona opera commemoraturus, præter pia misericordiæ opera: nec aliam bonorum operum vacuitatem reprehensurus sit Christus Dominus in die extremo, præter cessationem ab hujusmodi religiosæ humanitatis officiis, ut nos commoneret crimina quælibet, quamvis fœda & funesta, operibus misericordiæ deleri. Seclusa enim voluntate prava in scelerum consuetudine perseverandi, & opinione absona comparandi sibi impunitatem atque licentiam peccandi, beneficio exhibitæ in pauperes misericordiæ, homo nequam, quocumque scelere fuerit obstrictus, dum bona sua pauperibus erogat, non solùm non peccat, quinimo ratione piæ largitionis præterita piacula abstergit, & abluit. Postremò nullus omnino ex S. Doctore, adeoque ne immanioribus quidem flagitiis obnoxius, cessare unquam debet a templi frequentia, a sacrificii præsentia, a prece

assi-

assidua, a piis Christianæ Religionis officiis. Quamobrem ex datis S. Augustini testimoniis ostenditur, quod peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant.

XVII. Quæst. Evang. Lib. 2. Quæst. 18. to. 3. *Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: In tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio verò, cum tantò minus delectant carnalia, quantò spiritalium major sagina est.*

XVIII. Serm 210 c. 4. n. 5. to. 5. *In tam periculosa, & tentationibus plena hujus sæculi nocte, quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus judicetur, qui devorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Unde jejunandum, & orandum est.*

XIX Et rursus ibidem c. 6. n. 9. to. 5. *Nunc itaque in persona Christi, ut non circumveniamini a Satana, exhortor vos, dilectissimi, ut quotidianis jejuniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis.*

XX. In Ps. 50. n. 11. to. 4. *Ad hoc incertum Ninivitæ pœnitentiam egerunt. Dixerunt enim, quamvis post minas Prophetæ, quamvis post illam vocem: Triduo & Ninive subvertetur: Dixerunt apud se petendam esse misericordiam: Dixerunt ita apud se disceptantes. Quis novit si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur? Incertum erat cum dicitur: Quis novit? De incerto pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt. Prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis, in cilicio, & in cinere prostraverunt se, gemuerunt, fleverunt, pepercit Deus. Stetit Ninive, an eversa est Ninive? ... Respice quæ fuit Ninive, & vide, quia eversa est: eversa in malo, ædificata in bono.*

XXI. Serm. 361. c. 21. n. 20. to. 5. *Annuntiavit Jonas non misericordiam, sed iram futuram. Non enim dixit: Triduo & Ninive evertetur; si autem pœnitentiam in isto triduo egeritis, parcet vobis Deus: Non dixit hoc. Eversionem solam minatus est, & prænuntiavit. Et tamen illi, de Dei misericordia non desperantes, converterunt se ad pœnitendum, & pepercit Deus.... Quid erat Ninive? Manducabant, & bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, per-*

juriis vacabant, mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corruptionibus: hæc erat Ninive. Attende modò Ninive, plangunt, dolent, contristantur in cilicio, & cinere, in jejuniis, & orationibus. Ubi est illa Ninive? Nempe eversa est, quia non in illis superioribus actibus constituta est. Profitetur igitur Augustinus, quod homines nequam flagitiis obstricti, dum severâ animadversione crimina sua insectantur, dum corporis afflictationibus spontè susceptis, vigiliis, lacrymis, gemitibus, jejuniis sese excruciant, dum bona sua in pauperes erogant, dum assiduas preces effundunt, dum piis vacant operibus, quibus Deum sibi propitium faciant, pænasque sempiternas evadant, tantùm abest, ut novo scelere sese obstringant, ut potiùs veniam a Deo impetrent, divinam gratiam sibi concilient, atque in Dei amicitiam recipiantur. Id autem Ninivitarum exemplo, nequissimorum sanè hominum, S. Doctor confirmat, qui flagitiosissimam agebant vitam, turpissimarum omnium libidinum varietate confertam. At minis Prophetæ commoti, & ad salubriora revocati, ubi jejuniis, precibus, ejulatibus, aliisque piis operibus incubuerunt, sententiam suam Deus in melius commutavit; quandoquidem ex S. Augustino deleta est quidem vetus Ninive, sed nova Ninive condita est: Deleta est vetus Ninive, non dirutis innoxiis parietibus, sed eversis corruptis moribus. Uno verbo: Deleta est vetus Ninive excisis vitiis; restaurata est nova Ninive excitatis virtutibus. Ex his autem perficitur, quod ex Sancto Augustino peccatores non in omnibus suis actionibus necessariò peccant.

Ad primum ergo dicendum, quod S. Augustinus loco allegato loquitur de Juda proditore, cujus oratio eo tempore, quo meditabatur Christi Domini proditionem, non poterat fieri nisi in peccatum. At si perpetrato sacrilego atque impio facinore pœnituisset, atque humilibus precibus ad implorandam divinam clementiam se convertisset, veniam impetrasset, neque in desperationis gurgitem se demersisset. Jam verò audiatur S. D. loco citato, idest, in Ps. 108. num. 9. to. 4. *Non est justa oratio, nisi per Christum, quem vendidit immanitate peccati. Oratio autem, quæ non fit per Christum, non*

solùm

solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Quando autem Judas ita orare potuerit, ut oratio ejus fieret in peccatum, quæri potest. Credo antequam Dominum traderet, & de illo tradendo jam cogitaret: non enim jam poterat orare per Christum, nam posteaquam illum tradidit, eumque pœnituit; si per Christum oraret, indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet, misericordiam speraret; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.

Ad secundum dicendum, quod ex S Augustino proculdubio peccat, qui hac mente greges pauperum pascit, ut liceat sibi semper impunè peccare. Hic enim non Christum pascit, sed Judicem corrumpere conatur; qui autem pecunias in pauperes erogat, ut a perditis, corruptisque moribus ad meliorem frugem beneficio divinæ gratiæ revocetur, ex S.Doctore non peccat, quod satis insinuant allegata verba. *Ergo ad hoc facite eleemosynas, ut vestræ orationes exaudiantur, & adjuvet vos Deus ad vitam in melius commutandam: & qui commutatis eandem vitam, in melius commutate, ut per eleemosynas, & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.*

Ad tertium dicendum, quod S D. sapientissimè docet, quod qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, & inter ipsa flagitia, & scelera sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi blandiuntur de partâ sibi innocentiâ & puritate animi, quia Dominus ait: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; quod nullus nisi insipiens negaverit. At minime docet Sanctus Doctor, quod in hac eleemosynarum erogatione peccatores hujusmodi novum peccatum contrahant, ac novo scelere sese obstringant.

Ad quartum dicendum, quod ex Sancto Doctore, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, licentiam se emere existimant in facinorum immanitate, ac flagitiorum nequitiâ permanendi, quæ facinora atque flagitia ita diligunt, ut in eis semper op-

tent, si impunitas adsit, versari; procul dubio qui sunt ita animo comparati, dum eleemosynas erogant, hac nequissima voluntate utique peccant. At si quis gravioribus obnoxius peccatis incurrat in pauperem, & alienæ miseriæ ductus misericordiâ, ut illam sublevet, stipem pauperi porrigat, quis unquam dixerit, misericordem hominem novo crimini tunc fieri obnoxium? Absonam hanc opinionem S. Augustinus nullibi sanè docuit.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Dominus, cum in uno templo orarent Pharisæus & Publicanus, Publicanum confitentem peccata sua, magis justificatum dicit, quàm Pharisæum jactantem merita sua. Quamquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen ut justificaretur, peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus justificatus est, ut desineret esse peccator, non utique desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator. Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri; sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri, veritas testis est.* (b) *Nam & peccatores exaudit Deus; si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens, diceret: Domine propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem* (c) *Sed fortè fratres spiritales rogant, & exaudiuntur, quia non sunt peccatores. Quid faciunt carnales? Quid faciunt? Peribunt? Deum non rogabunt? Absit. Da mihi illam Publicanum. Veni, Publicane, sta in medio; ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem. Qui dixit: Propitius esto mihi peccatori, verum dixit, an falsum? Si verum dixit: Peccator erat, & exauditus est, & justificatus est. Quid est ergo, quod dixisti tu, cui Dominus oculos aperuit? Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Ecce peccatores Deus exaudit. Sed lava interiorem faciem tuam, fiat in corde, quod factum est in facie tua, & videbis, quia peccatores Deus exaudit. Fefellit te imaginatio cordis tui.* (d) Quare non *illud mi-*

mihi placet, quod cum dixissem: Summa opera danda est optimis moribus. Mox addidi: Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit, benè autem viventes facillimè exaudiet. Sic enim dictum est, tanquam Deus non exaudiat peccatores, quod quidam dixit in Evangelio, sed ille, qui nondum cognoverat Christum, a quo fuerat jam illuminatus in corpore. (e) *Incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut deleantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus, ipsa deficiant. Tamen nolite desperare, & peccatores orate.* (f) Etenim *cum quisque viderit se quotidianis peccatis obrutum, acervis quibusdam, & molibus quibusdam iniquitatum premi, si dictum illi fuerit, ut Deum roget, irridet .... Sed Dominus Jesus Christus, qui nec profunda nostra contempsit, qui usque ad istam vitam venire dignatus est, promittens remissionem omnium peccatorum, etiam de profundo excitavit hominem, ut clamaret de profundo sub molibus peccatorum, & perveniret vox peccatoris ad Deum, unde clamantis, nisi de profundo malorum?* (g) *Si* enim *de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Noli contemnere, noli desperare, clama etiam de profundo ad Dominum .... De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt.* (h) *Annuntiavit* his *Jonas non misericordiam, sed iram futuram. Non enim dixit. Triduo & Ninive evertetur; si autem pœnitentiam in isto triduo egeritis, parcet vobis Deus. Non dixit hoc: Eversionem solam minatus est, & prænuntiavit, & tamen illi, de Dei misericordia non desperantes, converterunt se ad pœnitendum, & pepercit Deus .... Quid erat Ninive? Manducabant, & bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, perjuriis vacabant, mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corrupcionibus: Hæc erat Ninive: Attende modò Ninive. Plangunt, dolent, contristantur in cilicio, & cinere, in jejuniis, & orationibus.* (i) *Ad hoc incertum Ninivitæ pœnitentiam egerunt: Dixerunt enim quamvis post minas Prophetæ, quamvis post illam vocem: Triduo & Ninive subvertetur: dixerunt apud se, petendam esse misericordiam: dixerunt ita*

apud

apud se disceptantes. Quis novit, si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur? Incertum erat cum dicitur: *Quis novit? De incerto pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt. Prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis, in cilicio, & cinere, prostraverunt se, gemuerunt, fleverunt, pepercit* Deus. *Stetit Ninive, an eversa est Ninive? .... Respice quæ fuit Ninive, & vide, quia est eversa in malo, ædificata in bono.* (k) Quin etiam *si per Christum* oraret Judas, *indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet, misericordiam speraret, si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.* (l) *Audes* ergo *a Deo aliquid petere peccator inique? Audes sperare aliquam contemplationem Dei te habiturum infirme, immundo corde? Audeo, inquit, non de me, sed de ipsius delectatione: non de mea præsumptione, sed de illius pignore... Audeat ergo præsumere anima humana, & unam illam petere: secura habebit, secura possidebit* (m) *Currite* ergo, *ne tenebræ vos comprehendant, fratres mei: Evigilate ad salutem vestram, evigilate, dum tempus est: nullus retardetur a templo Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus avocetur ab oratione continua, nullus a solita devotione fraudetur. Evigilate ergo, cum dies est: lucet dies, Christus est dies. Paratus est ignoscere, sed agnoscentibus.* (n) *Itaque in persona Christi, ut non circumveniamini a Satana, exhortor vos, dilectissimi, ut quotidianis jejuniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis.* (o) *Si* enim *erat homo, ut ejiciat dæmonium alienum, quantò magis ut ejiciat avaritiam suam? quantò magis ut ejiciat vinolentiam suam? Quantò magis ut ejiciat luxuriam suam? quantò magis ut ejiciat immunditiam suam? Quanta sunt in homine, quæ si perseveraverit, non admittunt ad regnum Cælorum?* (p) *Propter hoc* etiam *eleemosynæ faciendæ sunt, ut cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus, ideo autem Dominus & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet,* quan-

quantùm valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè peccata committenda .... Ita parum est eleemosynas quantaslibet facere pro quocumque scelere, & in consuetudine scelerum permanere. (q) Sic *abundant hìc pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes: & cunt orare pœnitentes. Discutio pœnitentes, & invenio malè viventes .... Aliqui ipsi sibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt: & qui sibi petierunt, hoc volunt facere, quod faciebant: & qui a nobis excommunicati in pœnitentiæ locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis.* (r) E contrario *circumstant nos exempla non tantùm rectè facientium, sed etiam pœnitentium, ad recipiendam salutem, quæ fuerat amissa peccando. Sed sic incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum?* (s) *In tam* ergo *periculosa, & tentationibus plena hujus sæculi nocte quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus judicetur, qui devorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Unde jejunandum, & orandum est.* (t) *Jejunium* autem *aut in tribulatione est, aut in gaudio. In tribulatione, ad propitiandum Deo pro peccatis In gaudio vero, cum tanta minus delectant carnalia, quanto spiritalium major sagina est.* (u) *Mundantur* enim peccatores *sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Mundantur & eleemosynis ab illo, qui ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, caritate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Caritas cooperit multitudinem peccatorum, quæ una si adsit, omnia illa rectè fiunt; si autem desit, illa omnia frustra fiunt* (x) Hac de caussa *tacet Dominus noster omnia cetera recta facta justorum, & solas eleemosynas commemorare dignatus est. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleemosynæ increpandam esse judicavit, non nisi ad*

no

nos commonendos. Quare hoc? Quia omnia crimina eleemosynis redimuntur; ideo illam laudavit fœcunditatem, istam culpavit, & damnavit ariditatem. Hactenus ex S. Augustino.

(a) L. 2. contra Parmenianum c. 8. n. 17. t. 9. (b) Tract. 44. in Jo. n. 13. t. 3. (c) Sermon. 135. c. 5. n. 6. t. 5. (d) L. 1. Retract. c. 3. n. 3. t. 1. (e) Serm. 135. c. 6. n. 7. t. 5. (f) In Ps. 129. n. 1. t. 4. (g) Serm. 351. c. 5. n. 12. t. 5. (h) Serm. 361. c. 21. n. 20. t. 5. (i) In Ps 50. n. 11. t. 4. (k) In Ps. 108. n. 9. t. 4. (l) In Ps. 26. enarr. 2. n. 10. t. 4. (m) Tract. 12. in Jo. n. 14. t. 3. (n) Serm. 210. c. 6. n. 9. t. 5. (o) Serm. 80. n. 3. t. 5. (p) L. 21. de Civit. Dei c. 27. n. 2. & 3. t. 7. (q) Serm. 232. c. 7. n. 8. t. 5. (r) Serm. 351. c. 5. n. 12. t. 5. (s) Serm. 210. c. 4. n. 5. t. 5. (t) L. 2. Quæst. Evang. quæst. 18. t. 3. (u) L. 2. contra Cresconium Donatistam c. 12. n. 15. t. 9. (x) Serm. 388. n. 1. t. 5.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Augustina in Lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint?

Videtur, quod ex Sancto Augustino in Lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint. Propositam enim assertionem consequentia Sancti Doctoris decreta sic tutari videntur.

I. IN Exposit. Epist. ad Galatas n. 46. t. 3. *Sicut enim prima hominis vita est ante legem, cùm nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex pravis cupiditatibus resistit, quia non est, qui prohibeat; sic secunda est sub lege ante gratiam, quando prohibetur quidem, & conatur a peccato abstinere se, sed vincitur, quia nondùm justitiam propter Deum, & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam,*

sam, & ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam, quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur: quod nisi caritate spiritali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit, fieri non potest.

II. In exposit. Epist. ad Galatas n. 40 to. 3. *Ille de Ancilla, quæ Agar vocabatur, vetus Testamentum significat, idest, populum veteris Testamenti propter jugum servile carnalium observationum, & promissa terrena, quibus irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hereditatem spiritalem cælestis Patrimonii.*

III. In Ps. 118. serm. 26. n. 8. to. 4. *In Testamento veteri latentem gratiam, tanquam velo interposita, non intelligentes... quando in faciem Moysi intendere non valebant, propter mercedem terrenam atque carnalem, Dei mandata facere conabantur, neque faciebant; quia non ipsa, sed aliud diligebant; unde illa non erant opera volentium, sed onera potius invitorum.*

IV. Lib. de catechizandis rudibus c. 19. n. 33. to. 6. *In eo planè populo multò evidentius futura Ecclesia figurata est. Erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Deum: Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes, & cælestem patriam requirentes, quibus prophetanda revelabatur futura humilitas Dei, Regis, & Domini Nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia, & tumore sanarentur.*

V. Serm. 32. cap. 8. n. 8. to. 5. *Illa decem præcepta Psalterii decem chordarum, ipsæ sunt, quæ erant in illo populo vetero: sed illum populum decem præcepta timore opprimebant. Non enim erat in illis caritas, quæ est per gratiam, sed timor erat. Præcepta Domini pœnalia erant illi populo; quia impleri non poterant amore. Conabantur, sed cupiditate superabantur. Cum ergo quisque ad gratiam transitum fecerit, non alia præcepta implet: sed ipsa, quæ hac impleri non poterant, hac implentur. Non est tamen vis præceptorum, sed vis gratiæ Dei;*

nam si præceptorum legis hoc esset, & illa impleret. Qui transit ad Christum, transit a timore ad amorem, & incipit amore jam posse, quod timore non poterat: & qui trepidabat in timore, non trepidat in amore.

VI. Serm. 33. c. 1. n. 1. to. 5 *Timor ille servilis in veteri homine constitutus, potest quidem habere Psalterium decem chordarum, quia & Judæis carnalibus data est ipsa lex decem præceptorum: sed cantare in illa non potest canticum novum; sub lege est enim, & implere non potest legem. Organum ipsum portat, non tractat; & oneratur Psalterio, non ornatur. Qui autem sub gratia est, non sub lege, ipse implet legem; quia non est ei pondus, sed decus, nec timenti tormentum est, sed amanti ornamentum.*

VII. Lib. contra Adimantum c. 17. n. 2. to. 8 *Hæc est brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque conjunctum. Et in veteri Scriptura tacetur animus vindicantium; quia paucissimi spiritales divinis revelationibus, quid facerent, noverant, ut populus cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur.*

VIII. Tract. 3. in Jo. n. 13. & 14. to. 3. *Ipsa est gratia, fratres mei, ipsa est & veritas; quia promissa & exhibita. Non erat ista in veteri Testamento, quia lex minabatur, non opitulabatur: jubebat, non sanabat: languorem ostendebat, non auferebat; sed illi præparabat Medico venturo cum gratia & veritate; tanquam ad aliquem, quem curare vult medicus, mittat primò servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, sanari nolebat, & ne sanaretur, sanum se esse jactabat. Missa lex est, ligavit eum: invenit se reum, jam clamat de ligatura.*

IX. Tract. 52 in Jo. n. 7 & 8. to. 3. *Prædicebat ergo Dominus, quod sciebat, post passionem, & glorificationem suam per universam mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renuntiant, ejicitur foras. Sed dicit aliquis: Nunquid de cordibus Patriarcharum,*

rum, & Prophetarum, veterumque Justorum non ejectus est foras? Ejectus est plane. Quomodo ergo dictum est: Nunc ejicietur foras? Quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nune in multis, magnisque populis jam mox futurum esse prædictum est.

X. In exposit. Epist ad Galatas n. 24. to. 3. *Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo, quicunque homines humilitatem Christi, & per revelationem antequam fieret, & per Evangelium posteaquam facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt. Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia Dei, non erat popularis, antequam Deus-Homo inter homines nasceretur. Semen autem, cui promissum est, populum significat, non illos paucissimos, qui revelationibus eam futuram cernentes, quamvis per eandem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant. Qui populus sane, si per totum orbem consideretur (nam de toto orbe Ecclesiam Jerusalem cælestem congregat) pauci sunt, quia via angusta paucorum est: in unum tamen congregati, quotquot existere potuerunt, ex quo Evangelium prædicatur, & quotquot poterunt usque in finem sæculi per omnes Gentes, adjunctis sibi etiam illis, quamvis paucissimis, qui ex fide Domini, fide Prophetica, ante ambos adventus ejus, salutem gratiæ perceperunt, implent Sanctorum beatissimum civitatis sempiternæ statum.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Augustino non probari, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint. Etenim S. Augustinus multò mitiora prædicat de Gente Judaica in veteri lege constituta, cujus mentem ex ejusdem definitionibus, quas hic proferam, mox aperio.

I. Lib. ad Donatistas post collationem c. 20 n. 31. & 32 to. 9. hæc habet de duplici populo simul permixto in Gente Judaica, quorum alter erat immundus, & impius; alter verò pius, &

 in-

innocens. *Duo igitur erant: unus immundus, & alter qui ad immundum prohibetur accedere, qui exhortabatur praevalescere, quia spiritus Dei erat in medio eorum .... Sicut erant etiam sub uno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes, de quibus Apostolus dicit: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Neque enim ait: In omnibus illis non est beneplacitum Deo, tanquam omnes displicuerint Deo; sed ait: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo; ergo in quibusdam, non in omnibus. Et omnes sub eisdem Sacerdotibus erant in uno eodemque tabernaculo, in uno eodemque altari hostias offerebant, & tamen distinguebantur factis, non locis; animo, non templo; moribus, non altaribus ... Sic & Aggaeus noverat in uno populo duos populos, unum templum intrantes, sub uno magno Sacerdote viventes, & alterum ostendebat immundum, alterum ad immundum accedere prohibebat: & tamen nec illos, nec seipsum ab eodem templo, & ab eisdem altaribus separabat .... In uno ergo fuerunt & permixti, & separati: permixti quidem corporali tactu, separati autem voluntatis abscessu. Sed more suo Scriptura loquitur, quae sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint: & sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint.* Loco producto Donatistas exagitat Augustinus, qui, non secus atque recentiores haeretici, piorum atque justorum paucitatem in Ecclesia Catholica deplorabant, seque esse paucos illos, rarosque sanos, pios, atque probos affirmabant, quibus vera Christi Domini Ecclesia continebatur. Quamobrem S. Augustinus, Donatistas refellens, negat illis objectam justorum paucitatem, quorum copiam & multitudinem non contemnendam, non solùm in recentiori Ecclesia Christiana, verùm etiam in veteri Ecclesia Judaica demonstrat, atque in medium proferens Apostoli testimonium docet, quod sub uno Moyse, totius Israelitici populi Duce, quidam erant Deum offendentes, in quibus ex Apostolo non est beneplacitum Deo; & e contrariò aderant etiam non pauci Deo placentes, in quibus ex Apostolo est beneplacitum Deo; adeoque in duas partes satis insignes totus Judaicus populus erat divisus, quarum una erat

pars

pars sana, pia, atque justa; altera autem pars insana, impia, & injusta. Præterea sub sacro Sacerdotum imperio boni viri, ac benè morati permixti cum improbis apparebant, qui factis & moribus, non ritibus & sacrificiis discrepantes, disjungebantur. Postremò sub Aggæo Propheta populus, & populus totam Ecclesiam Judaicam constituebat; populus pius, & populus impius; populus probus, & populus improbus; populus justus, & populus injustus; ac proinde non omnes, nec fere omnes impii, improbi, injusti. Quod autem in divinis litteris ita improbentur & arguantur mali, perinde ac si omnes fuerint mali, id ex S. Augustino popularem loquendi morem demonstrat in sacrâ Scripturâ usitatum, in qua etiam ita probantur & commendantur boni, perinde ac si omnes fuerint boni. Ex quibus omnibus perspicuum est, ab omni illa opinione remotissimum esse Augustinum, quæ docet, quod in lege veteri exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

II. Lib. 1. contra Donatistas c. 15. n. 24. to. 9. *Sicut in Sacramentis veteris Testamenti vivebant quidam spiritales, ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; sic & nunc in Sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales. Qui proficere si nolunt ad percipienda, quæ sunt spiritûs Dei, quò eos hortatur sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt.*

III. Tract. 26. in Jo. n. 11. to. 3. *Manducavit manna & Moyses, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducaverunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur.* Docet igitur in superioribus Augustinus, quod sub Testamenti veteris Sacramentis, figuris, atque involucris non deerant, qui vitam quandam cælestem agerent, consentaneam spiritûs præscriptionibus, atque a sensuum illecebris discrepantem, quod sanè est opus divinæ gratiæ. Hi pertinebant occultè ad Testamen-

mentum novum, five ad Legem Gratiæ, quæ ſub cortice Teſtamenti veteris recondita continebatur. Quemadmodum Chriſtianorum plerique, qui in Lege Gratiæ conſtituti, vitam agunt ſenſibus indulgentem, ad vetus Teſtamentum, ſive ad Legem Juſtitiæ pertinent. Ex priorum numero fuerunt non quidem pauci, ſed multi illi de Judaico populo, qui gratiæ ſpiritu potius, quàm corporis ſenſu myſticum manna in deſerto intellexerunt, eſurierunt, guſtaverunt, ut ſpiritu ſatiarentur. Hi omnes ex S. Doctore Deo placuerunt: & licet exteriorem mortem obierint, quæ corpus divellit ab anima, quæ vita eſt corporis; interiorem mortem non ſunt experti, quæ animam disjungit a Deo, qui vita eſt animæ. Itaque ex Sancto Auguſtino quàm maximè diſtat a veritate, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Juſtis, Judæi ceteri in ſingulis ſuis operibus, deficiente illis gratia, neceſſariò peccaverint.

IV. In Pſ. contra partem Donati colum. 2. lit. D. to. 9. *Pone in corde areas duas, ut poſſis, quod dico videre. Certè & Priores habebant Sanctos, ſicut oſtendunt Scripturæ. Nam & ſeptem millia virorum Deus ſe dixit reliquiſſe. Et Sacerdotes, & Reges, multi juſti ſunt in lege. Ibi habes tantos Prophetas, habes multos & de plebe.*

V. In Pſ 25. enarr. 2. n. 5. to. 4. *Hæc cogitatio, Fratres, Eliam tentavit tantum virum; & dixit ad* Deum, *ſicut etiam Apoſtolus commemorat: Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego remanſi ſolus, & quærunt animam meam; ſed quid dicit illi reſponſum divinum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Non dixit ei: Habes alios duos, aut tres ſimiles tibi. Noli, inquit, putare te ſolum. Alia, inquit, ſeptem millia ſunt, & ſolum te putas?* In recitatis ſententiis S. Auguſtinus, præter Eccleſiam Chriſtianam, Eccleſiam etiam Judaicam comparat Areæ. Quemadmodum enim ex Sancto Doctore abundat area & multâ paleâ, & multo tritico coacervatim permixtis, paleâ igne abſumendâ, & tritico in horreis recondendo; ita non ſolùm Eccleſia Chriſtiana, verùm etiam Eccleſia Judai-

daica plurimos justos coacervatos, atque permixtos habuit cum plurimis improbis: justos, cælestibus horreis recondendos; impios, infernis ignibus comburendos. Inter justos & pios veteris Ecclesiæ Judaicæ homines commemorat S. Doctor & Sacerdotes, & Reges, & Prophetas, aliosque non paucos, multosque etiam de plebe, quibus adjungit septem millia illa virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, Eliæ Prophetæ similes, quos Deus, utpote justos & pios, sibi reliquisse testatur. Hæc autem ex S Augustino eruta monumenta pugnant cum eo, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratiâ, necessariò peccaverint.

VI. In Ps. 77. n. 2. to. 4. *Erant etiam in illo populo, qui intelligerent, habentes fidem, quæ postea revelata est, non ad legis litteram, sed ad gratiam spiritûs pertinentem. Non enim sine ipsa fide fuerunt, qui ejus in Christo futuram revelationem prævidere, & prænuntiare potuerunt; cùm & illa vetera Sacramenta significantia fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non & Populus? Imo verò etiam qui Prophetas fideliter audiebant, eâdem adjuvabantur gratiâ, ut intelligerent, quod audiebant. Sed utique Sacramentum Regni Cælorum velabatur in veteri Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in Novo.* Affirmat hic Augustinus, quod in lege veteri, præter Patriarchas, atque Prophetas, Populus etiam Prophetarum Auditor, adeoque multitudo hominum non contemnenda, propheticis vaticiniis fideles adhibebat aures, eâdem cum Prophetis adjuvabatur gratiâ, ut intelligeret divina oracula, quæ audiebat, eandemque cum sacris Vatibus fidem, ad gratiam spiritûs pertinentem, in futurum Liberatorem Jesum habebat. Jam verò homines hujusmodi, ita me Deus amet, non in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccabant. Quamobrem ex S. Augustino a veritate discrepat, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

VII.

VII. Et rursus ibidem paulò infrà. *Non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Cum dicit: non in omnibus: erant ergo ibi aliqui, in quibus beneplacitum est Deo. Et cum essent omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorum virtus est. Sicut & nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatis commune est lavacrum regenerationis; sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt Sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eundem Baptismum, & falsi fratres in communione Catholici nominis. Ergo & hic rectè dicitur: Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo.* Jam verò S. Augustinus eâdem convenienti, & consentanea ratione differit hic de justis, injustisque, cùm ad veterem legem Judaicam, tùm ad novam legem Christianam pertinentibus. Docet enim, quod sicuti in veteri lege Judaica erant justi quidam, in quibus, juxta Apostolum, beneplacitum est Deo; & rursus quidam erant injusti, in quibus, ex eodem Apostolo, Deo non est beneplacitum: ita nunc in nova lege Christiana sunt justi quidam, in quibus est beneplacitum Deo; & sunt quidam injusti, in quibus Deo non est beneplacitum. Præterea ex S. Doctore sicuti communia erant Judæis omnibus Sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ Sacramentorum est fructus; ita nunc communis est Baptismus Christianis omnibus, sed non omnibus gratia communis est, quæ Baptismi est effectus: Sed ea, quæ S. Doctor decernit de justis, injustisque Christianis novæ legis, tantum abest, ut aliqua ratione probabili suadeant, quod in novâ lege, paucis exceptis, ceteri omnes Christiani in omnibus suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccent, ut potius veritatem huic errori oppositam persuadeant; ergò superioribus prorsus similia, quæ S. Doctor definit de justis, injustisque Judæis veteris legis, tantum abest, ut aliqua verosimili conjectura doceant, quod in veteri lege, paucis exceptis, ceteri omnes Judæi in omnibus suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint,

verint,

verint, ut potius absonæ huic opinioni discrepantem sententiam verissimam esse demonstrent.

VIII. Aurelius, aliique tres cum Augustino Episcopi Epist. 177. ad Innocentium Papam n. 14. to. 2. *Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem, & Prophetas. Cum dicit: manifestata est:* ostendit Apostolus, *quia & tunc erat, sed tanquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in areá manifesta .... Sicut confugiunt multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut in area nunc patentem; ita pauci ad eam confugiebant, velut in vellere tunc latentem.*

IX. Quæstionum in Judicos lib. 7. quæst. 49. num. 9. to. 3. *Dominus, quod prænuntiare volebat, ostendit: In compluto scilicet vellere, & areá totá circumquaque siccá, figurare primùm populum Israel, ubi erant Sancti cum gratia cælesti, tanquam pluviá spiritali; & postea compluta areá, sicco vellere, figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere, tanquam in velamine, sed in aperta cælestem gratiam, illo priore populo, velut ab ejusdem gratiæ rore alienato, atque siccato.*

X. In Ps. 137. n. 9. to. 4. *Da mihi illum Gedeon quemdam Sanctum virum tempore Judicum: videte quale signum petivit a Domino. Ponam, inquit, vellus in area, compluatur vellus, area sicca sit. Et factum est. Complutum est vellus solum, area sicca erat. Petiit iterum signum. Area tota compluta sit, & solum vellus siccum inveniatur. Et hoc factum est. Compluta est area, sicco vellere. Primò complutum vellus, sicca area; postea compluta area, sicco vellere. Quid vobis videtur area, fratres? Nonne orbis terrarum? Quid vellus? Tanquam Gens Judæa, medio orbe terrarum, habens gratiæ sacramentum, non in manifestatione, sed in nube secreti, tanquam in velamento, pluviam in vellere. Venit tempus, quando revelaretur pluvia in area, manifestata est, non aperta.* Itaque ex Sancto Augustino illud discriminis interest inter Ecclesiam Judaicam, atque Ecclesiam Christianam, quod Ecclesia Judaica

Pars II. V con-

continebat cælestem gratiam, sub symbolis atque figuris velatam, veluti pluviam in madido vellere: in qua Ecclesia erant sancti cum gratia cælesti, tanquam pluvia spiritali, ad quam gratiam, velut in vellere tunc latentem, Judæorum pauci, si conferantur cum multo majori numero Christianorum, confugiebant. At verò Ecclesia Christiana, sublatis e medio symbolis atque figuris, revelatam continet cælestem gratiam, veluti pluviam in madida ac redundanti area, ad quam gratiam, velut in area nunc patentem, Christianorum plures, si conferantur cum multo minori numero Judæorum, confugiunt. Hæc autem S. Doctoris placita minimè conciliantur cum eo, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint. Quamobrem ex S. Augustino falsum est, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

XI. In Ps. 143. n. 2. to. 4. *Gratia enim novi Testamenti in lege velabatur, in Evangelio revelatur. Velum removimus: quod velabatur, agnovimus. Agnovimus autem in gratia Domini Nostri Jesu Christi, capitis & Salvatoris Nostri, qui pro nobis crucifixus est, quo crucifixo, etiam velum Templi conscissum est.*

XII. Lib. de Peccato Originali c. 25. n. 29. to. 10. *Quamvis ergo nec lex per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, convincente, puniente; sed sub gratia delectante, sanante, liberante.... Nunc autem sine lege, Justitia Dei manifestata est, testificata per legem, & Prophetas. Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cujus occultationem significabat Templi velum, quod est ad ejus significandam revelationem, Christo moriente, conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris Dei, & hominum, hominis Christi Jesu erat in populo Dei; sed tanquam in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntariam segregat Deus hereditati suæ, inerat latens: nunc autem velut sic-*

cato

cato illo vellere, hoc est, Judaico populo reprobato, in omnibus gentibus, tanquam in area cernitur patens.

XIII. Lib. 1. de Peccat. meritis & remissione c. 11. n. 13. to. 10. *Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis Sanctis, quicumque, antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in vetere Testamento, pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo.*

XIV. Lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. n. 6. & 7. to. 10. hæc de obtrectantibus Pelagianis. *Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant: Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse: Nisi cùm vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, a Monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur Novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundùm distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed Novi demonstrantur heredes.... Certè si quæramus, utrum hoc testamentum, quod dicit confirmatum a Deo, non infirmari a lege, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, utrum novum, an vetus intelligendum sit? Quis respondere dubitet, Novum? Sed in Propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo revelaretur in Christo.*

XV. Et rursus ibidem n. 13. to. 10. *Per Moysen quippe revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, & justa, & bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua convincerentur superbi, suam justitiam volentes constituere, quasi divino adjutorio non egentes: & rei facti litteræ, confugerent ad gratiæ spiritum, non sua justitia justificandi, sed Dei, hoc est, quæ illis esset ex Deo.*

XVI. Et iterum sub eodem num. 13. in fine hæc habet de Ecclesia occulta in veteri lege. *Prius tanquam sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat: nunc autem videmus, quod de illa prophetatum est: Lætare sterilis, quæ non*

 paris.

paris: erumpe, & exclama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum; idest, magis quàm illius Jerusalem, quæ legis quodammodo vinculo maritata est, & servit cum filiis suis. Tempore igitur veteris Testamenti Spiritum Sanctum in eis, qui etiam tunc secundùm Isaac promissionis filii erant, non solùm adjutorem, quod isti suo dogmati sufficere existimant, verùm etiam largitorem dicimus fuisse virtutis. Jam verò ex S. Augustino in Testamento veteri inclusa latebat gratia Testamenti novi, quæ eadem erat ac gratia Evangelica; sed occulta, tanquam in vellere pluvia. Quinimo Testamentum novum involutum erat in veteri Testamento, sub propheticis latebris delitescens. Neque enim populus Judaicus fuerat adhuc reprobatus; sed erat tunc populus Dei, in quo aderat divina gratia, quæ operata est in antiquis sanctis, quicumque ad eam pertinebant, vitam agentes suam sub gratia delectante, sanante, liberante. Hinc filios habebat Ecclesia in lege Mosaica, sed non perspicuos, sicut in lege Evangelica, pauciores tamen filiis Ecclesiæ, ex omnibus gentibus congregatæ, post Euangelium longè latèque per totum orbem diffusum, quibus Spiritus Sanctus adjutor erat, atque largitor virtutis, non solùm iis, qui fuerant dispensatores; sed etiam iis, qui gestatores erant veteris Testamenti, & simul heredes novi. Quin etiam peccatores in lege veteri perfugium habebant ad gratiæ spiritum, ad quam confugere poterant non suâ, sed Dei justitiâ justificandi. Jam verò superiores S. Doctoris elocutiones, hic coacervatim congestæ, non benè conveniunt, nec conciliantur cum eo, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint. Ergo ex S. Augustino falsum est, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

XVII. Lib. de vera Religione c. 17. num. 34. to. 1. *Si præcepta vitæ movent, quòd in veteri lege minora sunt, in Evangelio, majora; & ideo putatur non ad unum Deum utraque*

per-

pertinere: potest qui hoc putat perturbari, si unus Medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per se ipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem. Quamobrem ex S. Augustino Judæis omnibus, in lege veteri constitutis, Deus per suos ministros dedit præcepta vitæ ad reparandam, vel obtinendam salutem idonea, sed si Judæorum plerique in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccabant, locum non habent ea, quæ S. Doctor hic statuit. Siquidem præcepta vitæ ad reparandam, vel obtinendam salutem illis injuncta, Deum justum ac plum penitus dedecerent; quandoquidem ea servare omnino non possent; ac proinde ex S. Augustino falsum est, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

XVIII. Lib 1. contra adversarium Legis, & Prophetarum, c. 17. n. 35. to. 8. *In utroque Dei unius Testamento, & amandam bonitatem, & timendam severitatem. Quamvis enim in vetere Testamento, propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos pariat temporalis Jerusalem; in novo autem, ubi fides impetrat caritatem, qua lex possit impleri, non magis timore pænæ, quàm dilectione Justitiæ, liberos pariat æterna Jerusalem; tamen & illis temporibus fuerunt Justi Spiritales, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat Spiritus juvans. Unde & fides venturi Christi habitabat utique in Prophetis, venturum prænuntiantibus Christum: & nunc sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt, non intelligenda Scripturas, vel in ipsa Catholica aut adhuc parvuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseverant, futuris ignibus præparantur.* Si excipias igitur ex S.D, quod in veteri Testamento prævalebat timor; in novo autem prævalet amor: in utroque Dei unius Testamento, & est timenda severitas, & est amanda Dei bonitas: in utroque Dei unius Testamento inveniuntur & Justi spirituales, & injusti carnales. Hæc autem pugnant cum eo, quod in lege veteri Judæi ferè omnes in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò

sariò peccaverint; adeoque ex S. Augustino falsum est, quod in lege veteri, exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

XIX. Lib. de natura, & gratia c. 12. n. 13. to. 10. *Dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa, quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis; velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ postea revelata est; ubi & remittantur, quæ malè fiunt, & eadem gratia juvante, non fiant.* Finis ergo veteris legis arguentis peccatum ex S. Augustino hic erat, ut urgeret atque impelleret peccatores ad asylum gratiæ Domini miserantis, ad quam confugerent contra ea, quæ perperam ab eis fiebant. At pugnantia secum loquitur S. Doctor, si alibi doceat, quod in lege veteri Judæi fere omnes in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint. Itaque ex S. Augustino falsum est, quod in lege veteri exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi ceteri in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint.

Ad primum ergo dicendum, quod S. Augustinus loco allegato loquitur de lege veteri secundùm corticem, ut ita dicam, patentis litteræ, non secundùm nucleum latentis gratiæ. Littera exterior, propositis præsentis vitæ præmiis, atque suppliciis, alliciebat ad bonum, & deterrebat a malo. At gratia interior delectando, sanando, liberando, veteris testamenti homines ad consequendam servandamque justitiam perducebat. Hinc L. de peccato originali c. 25. n. 29. to. 10. hæc S. Doctor affirmat. *Quamvis ergo nec lex per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre: erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, convincente, puniente; sed sub gratia delectante, sanante, liberante.... Et tunc ergo ista gratia unius Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Jesu erat in populo Dei; sed tanquam in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntariam segregat Deus hereditati suæ, inerat latens; nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, Judaico populo reprobato, in*

in omnibus gentibus, tanquam in area cernitur patens.

Ad secundum dicendum, quod S. Augustinus nomen *Veteris Testamenti* usurpat ad significandos legales ritus, & cæremonias, præmiaque terrena, quibus Judæorum non pauci ad custodiendam legem Mosaicam more servorum ducebantur, nulla habita ratione superni præmii. At ex S. Doctore in veteri testamento involutum atque inclusum latebat testamentum novum, & ad novum Judæorum illa multitudo spectabat, quæ sub figuris & symbolis terrenorum bonorum, superna bona consectabatur, de quibus S. Doctor affirmat Lib. 1. contra Donatistas cap. 15. n. 24. to. 9. *Quod in Sacramentis veteris testamenti vivebant quidem Spirituales, ad novum scilicet testamentum, quod tunc occultabatur, pertinentes: sicut in Sacramento novi testamenti, plerique vivunt animales, qui proficere si nolunt ad percipienda, quæ sunt Spiritûs Dei, ad vetus testamentum pertinebunt.*

Ad tertium dicendum, quod S. Augustinus loco producto non docet Judæos omnes, vel ferè omnes in lege veteri latentis gratiæ fuisse ignaros, & in animo suo legifragos, eo quòd externam obedientiam legis ad terrenam duntaxat consequendam mercedem referrent. Plures quidem ex S. Doctore ita erant animo comparati, sed non omnes, nec ferè omnes; aliter enim S. Doctor secum pugnantia prædicaret; siquidem Lib. ad Donat. post collationem c.20 n.31. & 32.to.9. *Erant*, inquit, *sub uno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes, de quibus Apostolus dicit: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo; neque enim ait: In omnibus illis non est beneplactum Deo, tanquam omnes displicuerint Deo; sed ait: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo; ergo in quibusdam, non in omnibus.*

Ad quartum dicendum, quod ex S Augustino in Judaico populo pauci erant futuram requiem cogitantes,& cælestem Patriam requirentes, non quidem nulla facta comparatione, sed si comparentur cum majori numero eorum, qui fugacem fluentis vitæ felicitatem consectabantur. Id ipsum autem in populo Christiano, per summum dedecus Christiani nominis, videre est, in

quo

quo longè plures belluinis corporis voluptatibus indulgent, præ iis, qui cœlestes animi delicias perfequuntur. Quamobrem ficuti ex eo, quod major numerus Christianorum noxias corporis illecebras aucupatur, malè deducitur, quod in lege nova, paucis exceptis justis, Christiani fere omnes in fingulis suis operibus, deficiente illis gratia, neceffariò peccent; ita ex eo, quod major numerus Judæorum belluinis corporis cupiditatibus infervierint, male conficitur, quod paucis exceptis Justis, in lege veteri Judæi ferè omnes in fingulis fuis operibus, deficiente illis gratia, neceffariò peccaverint. Hinc S. Doctor de utroque Populo Judaico, & Christiano eandem fententiam tulit Lib. 1. contra Donatiftas c. 15. n. 24. to. 9. his verbis. *Sicut in Sacramentis veteris teftamenti vivebant quidam Spiritales ad novum fcilicet teftamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; fic & nunc in Sacramento novi teftamenti, quod jam revelatum eft, plerique vivunt animales, qui proficere fi nolint ad percipienda, quæ funt Spiritûs Dei, quò eos hortatur Sermo Apoftolicus, ad vetus teftamentum pertinebunt.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguftino Judaicus Populus legem implebat ex vitiofo humanarum pœnarum timore, quæ adverfus transgreffores erant conftitutæ: quibus fublatis, populus ille ad omne flagitium promptus erat, atque paratus. At vitiofa hæc voluntas ex S. Doctore non erat omnium, nec ferè omnium; aderant enim non pauci in illo populo, qui vel ex honefto timore, vel ex fancto amore legem fervabant; ficut in Populo Chriftiano contingit. Hinc S. Doctor Lib. 1. contra adverfarium Legis, & Prophetarum c. 17. n. 35. to. 8. hæc pronuntiat. *In utroque Dei unius teftamento, & amandam bonitatem, & timendam feveritatem.* Et Lib. de Pec. Originali c. 25. n. 29. to. 10.. *Quamvis ergo nec lex per Moyfen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines Dei non fub lege terrente, convincente, puniente, fed fub gratia delectante, fanante, liberante.*

Ad fextum dicendum, quod ex S. Auguftino timor ille fervilis, in veteri teftamento confuetus, legem implere non poterat;

terat; at sub integumentis veteris testamenti involutum delitescebat Testamentum novum cum timore honesto & filiali ex cælesti gratia proficiscente. Ad novum autem Testamentum abstrusum in veteri plures ex Judæis pertinebant, qui honesto timore ducti, ex cælesti gratia profluente, legem implebant. Hinc S Doctor Lib. 3. cont. duas Epistolas Pelagian. cap. 4. n. 6. & 7. to. 10. adversus Pelagianos hæc habet. *Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant: Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse: nisi cum vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit: A monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei secundùm distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores, & gestatores, sed Novi demonstrantur heredes... Certè si quæramus, utrum hoc Testamentum, quod dicit confirmatum a Deo non infirmari a lege, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, utrum novum, an vetus intelligendum sit? Quis respondere dubitet novum; sed in Propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo revelaretur in Christo.*

Ad septimum dicendum, quod ex S. Augustino apertissima & brevissima differentia duorum Testamentorum est timor, & amor, secundùm exteriorem speciem, quam Testamentum utrumque præsefert; at si intima utriusque constitutio & compages investigetur, utrumque Dei unius Testamentum in unum coalescit: unde fit, ut in Judaico Populo, qui honesto amore Justitiæ ducebantur, ad novum Testamentum occultatum in veteri pertinerent; sicut in Christiano Populo, qui vitioso pœnarum timore ducuntur, ad vetus Testamentum revelatum in novo pertinent. Hinc S Doctor Lib. de Cathechiz. rudibus c. 4. n. 8. to. 6. hæc de utroque Dei Testamento. *In veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris; secundùm illam occultationem carnaliter intelligentes carnales, & tunc, & nunc pœnali timore subjugati sunt. Secundùm hanc autem manifestationem spiritales, & tunc, quibus piè pulsantibus etiam occulta patuerunt,*

& nunc, qui non superbè quærunt, ne etiam aperta claudantur, spiritaliter intelligentes, donata caritate liberati sunt.

Ad octavum dicendum, quod ex S. Augustino lex veteris Testamenti non erat Dei gratia, quod Pelagiani affirmabant: Dei enim gratia est donum interius, longè distans ab externa lege, quæ jubere potest, adjuvare non potest: neque gratia Dei erat in veteri Testamento, quatenus Testamentum vetus a novo secernitur; at ibi erat, prout Testamentum novum in veteri includitur. Homines autem Dei secundùm gratiam viventes, etiamsi essent in veteri Testamento, non ad vetus, sed ad novum pertinebant Testamentum. Hinc Lib. 1. de peccat. meritis, & remissione c. 11. n. 13. to. 10. inquit. *Hoc Regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis Sanctis, quicunque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in vetere Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo.*

Ad nonum dicendum, quod ex S. Augustino in hominibus paucissimis veteris Testamenti factum est, ut ex illis diabolus foras ejiceretur, si veteris Testamenti homines cum novi Testamenti hominibus comparentur post Christi Ecclesiam longè latèque per totum Orbem diffusam; longè enim major est multitudo Christianorum hominum, e quorum animis extruditur diabolus. At vero si nulla comparatio inter utrumque Populum, Judaicum atque Christianum instituatur, ex S. Doctore pronuntiandum est, plures fuisse in Judaicu Populo justos, qui exacto inferno Tyranno unum Deum piè sanctèque colerent. Hinc in Psalmum contra partem Donati colum. secunda littera D. to. 9. *Pone*, inquit, *in corde areas duas, ut possis quod dico videre. Certè & priores habebant Sanctos, sicut ostendunt scripturæ. Nam & septem millia virorum Deus se dixit reliquisse. Et sacerdotes, & Reges, multi justi sunt in lege. Ibi habes tantos Prophetas, habes multos & de plebe.*

Ad

Ad decimum dicendum, quod ex S. Augustino Justitia fidei non erat popularis, antequam Deus-Homo inter homines nasceretur, & quod paucissimi erant, qui ex fide Domini, fide Prophetica, ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt. Sed qua Logisticæ lege inde deducitur, quod in veteri Testamento exceptis Patriarchis, atque Prophetis, paucisque Justis, Judæi fere omnes in singulis suis operibus, deficiente illis gratia, necessariò peccaverint? Itaque si ex Populo Judaico Justi comparentur primò cum ejusdem Populi injustis, pauci profectò erant. Id autem etiam usuvenit in Populo Christiano, qui plures habet injustos, quàm justos; nam, ut inquit S. Doctor in eandem Epistolam ad Galatas n. 26. to. 3. *Omnis area multis partibus ampliorem habet paleam, quàm frumentum.* Quod si iterum comparentur cum Justis Christiani Populi, multo pauciores inveniuntur: Ecclesia enim Judaica longè angustioribus finibus continebatur præ Ecclesia Christiana. Demum si comparentur cum ceteris gentibus, quæ falsorum Numinum cultui tunc temporis erant adstrictæ, paucissimi sanè Justi in Populo Judaico sunt pronuntiandi; sed eadem paucitate laborant Christiani, teste Augustino loco allegato, ubi hæc habet de Christiano Populo. *Qui Populus sanè si per totum Orbem consideretur, (nam de toto Orbe Ecclesiam Jerusalem cælestem congregat) pauci sunt, quia via angusta paucorum est.* At vero paululum remotis comparationibus dicendum est cum S. Augustino, in lege Veteri non paucos fuisse Justos ex omni cœtu, & ordine hominum, qui Dei munere, ex fide Domini, fide prophetica, salutem gratiæ perceperunt, de quibus in Ps. 77. n. 2. to. 4. hæc habet S. Doctor. *Erant in illo populo, qui intelligerent habentes fidem, quæ postea revelata est, non ad Legis litteram, sed ad gratiam spiritûs pertinentem; non enim sine ipsa fide fuerunt, qui ejus in Christo futuram revelationem prævidere, & prænuntiare potuerunt, cùm & illa vetera sacramenta significantia fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non & populus? Imo verò etiam, qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adjuvabantur gratia, ut intelligerent, quod audiebant. Sed utique*

que sacramentum Regni Cælorum velabatur in vetere Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in Novo.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Aggæus noverat in uno populo duos populos unum templum intrantes, sub uno magno Sacerdote viventes, & alterum ostendebat immundum, alterum ad immundum accedere prohibebat: Et tamen nec illos, nec seipsum ab eodem templo, & ab eisdem altaribus separabat .... In uno ergo fuerunt, & permixti, & separati; permixti quidem corporali tactu, separati autem voluntatis abscessu. Sed more suo scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint; & sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint.* (b) *Erant etiam sub uno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes, de quibus Apostolus dicit: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Neque enim ait: In omnibus illis non est beneplacitum Deo, tanquam omnes displicuerint Deo; sed ait: Non in omnibus illis beneplacitum est Deo; Ergo in quibusdam, non in omnibus.* (c) Quos inter *manducavit manna & Moyses, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducaverunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur.* (d) *Erant ergo ibi aliqui, in quibus beneplacitum est Deo. Et cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est; sicut & nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatis commune est lavacrum Regenerationis; sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt sacramenta, qua membra Corporis Christi cum suo Capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptismum, & falsi fratres in communione Catholici nominis. Ergo & hic recte dicitur: non in omnibus illis beneplacitum est Deo.* (e) *Sicut* ergo *in sacramentis veteris Testa-*

Testamenti vivebant quidam spiritales ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; sic & nunc in Sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales. Qui proficere si nolunt ad percipienda, quæ sunt spiritûs Dei, quò eos hortatur sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt. (f) Quamobrem in utroque Dei unius *Testamento & amandam bonitatem, & timendam severitatem. Quamvis enim in vetere Testamento propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos pariat temporalis Jerusalem, in Novo autem, ubi fides impetrat caritatem, qua lex possit impleri, non magis timore pœnæ, quàm dilectione justitiæ, liberos pariat æterna Jerusalem: tamen & illis temporibus fuerunt Justi spiritales, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat spiritus juvans. Unde & fides venturi Christi habitabat atque in Prophetis, venturum prænuntiantibus Christum; & nunc sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt, non intelligendo scripturas, vel in ipsa Catholica aut adhuc parvuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseverans futuris ignibus præparantur.* (g) *Pone* enim *areas duas, ut possis, quod dico videre. Certè & priores habebant Sanctos, sicut ostendunt scripturæ. Nam & septem millia virorum Deus se dixit reliquisse. Et Sacerdotes, & Reges, & multi Justi sunt in lege. Ibi habes tantos Prophetas, habes multos & de plebe.* (h) *Hæc* enim *cogitatio Eliam tentavit tantum virum, & dixit ad Deum, sicut etiam Apostolus commemorat: Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego remansi solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Non dixit ei: Habes alios duos, aut tres similes tibi. Noli, inquit, putare te solum. Alia, inquit, septem millia sunt, & solum te putas?* (i) *Erant* igitur *in illo populo qui intelligerent, habentes fidem, quæ postea revelata est, non ad legis litteram, sed ad gratiam Spiritûs pertinentem. Non enim sine ipsa fide fuerunt, qui ejus in Christo futuram revelationem prævidere, & prænuntiare potuerunt, cùm & illa*

illa vetera sacramenta significantia fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non & populus? Imo verò etiam qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adjuvabantur gratia, ut intelligerent, quod audiebant. Sed utique Sacramentum Regni Cælorum velabatur in vetere Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in novo. (k) Per legem enim cognitio peccati; nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est. ostendit Apostolus, quia & tunc erat, sed tanquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifesta .... Et sicut confugiunt multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut in area nunc patentem; ita pauci ad eam confugiebant, velut in vellere tunc latentem (l) Dominus enim, quod prænuntiare volebat, ostendit. In compluto scilicet vellere, & area tota circumquaque sicca, figurare primùm populum Israel, ubi erant sancti cum gratia cælesti, tanquam pluvia spiritali; & postea compluta area, sicco vellere, figurare Ecclesiam toto Orbe diffusam habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperto cælestem gratiam, illo priore populo, velut ab ejusdem gratiæ rore alienato atque siccato. (m) Da enim mihi illum Gedeon quemdam sanctum virum tempore Judicum. Videte quale signum petivit a Domino. Ponam, inquit, vellus in area, compluatur vellus, area sicca sit: Et factum est. Complutum est vellus solum, area sicca erat. Petiit iterum signum. Area tota compluta sit, & solum vellus siccum inveniatur: & hoc factum est. Compluta est area, sicco vellere. Primò complutum vellus, sicca area; postea compluta area, sicco vellere. Quid vobis videtur area, Fratres? Nonne Orbis terrarum? Quid vellus? Tanquam gens Judæa medio Orbe terrarum habens gratiæ sacramentum, non in manifestatione, sed in nube secreti, tanquam in velamento pluviam in vellere. Venit tempus, quando revelaretur pluvia in area, manifestata est, non operta. (n) Gratia enim novi Testamenti in lege velabatur, in Euangelio revelatur. Velum removimus, quod velabatur, agnovimus. Agnovimus autem in gratia Domini nostri Jesu Christi, Capitis & Salvatoris Nostri, qui pro nobis crucifixus est, quo crucifixo,

etiam

etiam velum templi conscissum est. (o) *Quamvis ergo nec lex per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines Dei non sub lege terrente, convincente, puniente; sed sub gratia delectante, sanante, liberante .... Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & Prophetas; si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta, cujus occultationem significabat templi velum, quod est ad ejus significandam revelationem, Christo moriente, conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Jesu erat in populo Dei; sed tanquam in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntariam segregat Deus hereditati suæ, inerat latens; nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, Judaico populo reprobato, in omnibus gentibus tanquam in area cernitur patens.* (p) Hinc *regnum mortis in quolibet homine sola gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis Sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in vetere Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo.* (q) *Quis enim Catholicus dicat, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse, nisi cum vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit: A Monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed novi demonstratur heredes. Certè si quæramus utrum hoc Testamentum, quod dicit confirmatum a Deo, non infirmari a lege, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, utrum novum, an vetus intelligendam sit? Quis respondere dubitet, novum. Sed in propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo revelaretur in Christo.* (r) *Per Moysen quippe revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, & justa, & bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua convincerentur superbi, suam justi-*

justitiam volentes constituere, quasi divino adjutorio non egentes, sed rei facti litteræ, confugerent ad gratiæ spiritum, non sua justitia justificandi, sed Dei, hoc est, quæ illis esset a Deo. (s) Hinc vetus Jerusalem tunc *sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat; nunc autem videmus, quod de illa prophetatum est: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & exclama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum, idest, magis quàm illius Jerusalem, quæ legis quodammodo vinculo maritata est, & servit cum filiis suis. Tempore igitur veteris Testamenti Spiritum Sanctum in eis, qui etiam tunc secundùm Isaac promissionis filii erant, non solùm adjutorem, sed etiam largitorem dicimus fuisse virtutis.* (t) *Dicimus* etiam *hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa, quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ postea revelata est, ubi & remittantur, quæ male fiunt, & eadem gratia juvante non fiant.* (u) Quod *si præcepta vitæ movent, quod in veteri lege minora sunt, in Evangelio majora; & ideo putatur non ad unum Deum utraque pertinere; potest qui hoc putat perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per seipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem.* Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Lib. ad Donatistas post Collationem c. 20. num. 32. to. 9. (*b*) Ibidem n. 31. (*c*) Tract. 26. in Jo. n. 11. to. 3. (*d*) In Ps. 77. n. 2. to. 4. (*e*) Lib. 1. contra Donatistas c. 15. n. 24. to. 9. (*f*) Lib. 1. contra Adversarium legis & Prophetarum c. 17. n. 35. to. 8. (*g*) In Ps. contra partem Donati colum. 2. lit D. to. 9. (*h*) In Ps. 25. enar. 2. n. 5. to. 4. (*i*) In Ps. 77. n. 2. to. 4. (*k*) Epist. 177. ad Innocentium Papam n. 14. to. 2. (*l*) Quæst. in Judices l. 7. quæst. 49. n. 9. to. 3. (*m*) In Ps. 137. n. 9. to. 4. (*n*) In Ps. 143. n. 2. to. 4. (*o*) Lib. de peccato Originali c. 35. n. 29. to. 10. (*p*) Lib. de peccat. meritis & remiss. c. 11. n. 13. to. 10. (*q*) Lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 4. n. 6. & 7. to. 10. (*r*) Ibidem. n. 13. (*s*) Ibidem sub eodem num. in fine. (*t*) Lib. de natura, & gratia c. 12. n. 13. to. 10. (*u*) Lib. de vera Relig. c. 17. n. 34. to. 1.

AR-

ARTICULUS V.

Utrum ex S. Augustino peracta confessione, satisfactio pœnalis præcedere semper debeat Sacramentalem absolutionem?

Videtur, quod ex S. Augustino peracta confessione, satisfactio pœnalis præcedere semper debeat Sacramentalem absolutionem; siquidem hanc fuisse antiquioris Ecclesiæ disciplinam subjectæ S. Doctoris sententiæ significare videntur.

I. EPistola 93. ad Vincentium Rogatistam c. 13. n. 53. to. 2. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem, sine pœnitentia posse transire.*

II. Serm. 351. de Pœnitentia c. 4. n. 7. to. 5. *Constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui separari a Regno Cælorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cælestis panis interim separetur.*

III. Serm. 352. de Pœnitentia c. 3. n. 8. to. 5. *Est pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indignè, judicium sibi manducent & bibant.*

IV. In Ps. 138. n. 4. to. 4. *Sedet homo, quando humiliat se in pœnitentia: surgit autem remissis peccatis, quando erigitur in spem vitæ æternæ. Propterea & in alio Psalmo dicitur: Surgite postquam sedistis, qui manducatis panem doloris. Panem doloris pœnitentes manducant, qui cantant in alio Psalmo, & dicunt: Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. Quid est ergo, Surgite postquam sedistis? Nolite exaltari, nisi humiliati fueritis. Multi enim volunt surgere, antequam sederint;*

derint: volunt se justos videri, antequam peccatores se esse confessi sint.

V. Ad Honoratum Epist. 228. n. 8. to. 2. *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? .... Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit acquisitio malorum æternorum Si autem ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur. Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur.*

VERA SENTENTIA SANCTI DOCTORIS.

Dicendum, quod ex S. Augustino peracta confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem. Quæ enim fuerit vera S. Doctoris sententia circa antiquioris Ecclesiæ disciplinam in peccatoribus excipiendis, atque reconciliandis ea, quæ sequuntur ejusdem S. Doctoris testimonia declarabunt.

I. Serm 351. c. 4. n. 9. to. 5. *Implicatus tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in Cœlo? ....Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum*

est,

est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Ex his habemus, Augustini ætate viguisse in Ecclesiâ veterem disciplinam agendæ publicæ pœnitentiæ, quæ in Orientali Ecclesiâ, post quartum sæculum; in Occidentali, post septimum multum remissa est, ac fere abrogata, donec in tota Ecclesia, post undecimum sæculum extincta penitus, atque sublata fuit. Plurimæ, eædemque gravissimæ fuerunt caussæ abrogandi, auctoritate Ecclesiasticâ, hujusmodi disciplinam, quas inter locum habent præcipuum gravissima scandala, odia, cædes, infamia, quæ ex solemni teterrimorum criminum manifestatione oriebantur. Hujusmodi Pœnitentia, teste Augustino, vel erat publica, vel semipublica, quæ non semper, sed arbitrio prudentis Antistitis injungebatur, non quidem occultis, sed publicis peccatoribus propter peccata enormissima, quæ, pravo exemplo, peccandi licentiam probis fidelibus suppeditabant. Constant hæc ex illis Augustini verbis: *Si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Jam verò, cum per ea tempora vel quotidianus, vel frequentissimus esset usus Mensæ Eucharisticæ inter fideles Laicos, ut demonstratur ex Augustino totâ Quæst. 3. Artic. 1., si ex S. Doct. satisfactio pœnalis præcedere semper deberet Sacramentalem absolutionem, sequeretur vel inabsolutos Sacramentaliter ad Mensam Eucharisticam fuisse admissos peccatores occultos, qui lethalia, sed occulta peccata contraxerant; quod improbabile prorsus est, cùm maximè abhorreat a religiosissimo cultu, divinaque veneratione, quæ debentur Sacramento Eucharistico; vel exclusos fuisse a Mensa Eucharisticæ peccatores quantumvis contritos, nec recidivos, propter unum duntaxat grave peccatum internum, quod maximè discrepat a Caritate Christiana. Dicendum est igitur ex S. Augu-

gustino, quod peracta confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

II. Eodem Sermone 351. c. 4. n. 10. to. 5. *Plerique boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò a communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis hæc prohibitia nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.*

III. Ad Seleucianam Epistola 265 n. 7. to. 2. *Agunt etiam homines pænitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur; sicut in omnibus Ecclesiis illi, qui propriè pænitentes appellantur.*

IV. De Symbolo ad Catechumenos Serm. 1. c 7. n. 15. to. 6. *Nolite illa committere, pro quibus necesse est, ut a Christi Corpore separemini, quod absit a vobis. Illi enim, quos videtis agere pænitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pænitentiam.* Ex superioribus S. Augustini testimoniis eruitur, quod propter sola scelera, propter immaniora facta, & quidem publica, atque notoria, cujusmodi erant Idololatria, homicidia, adulteria, solitos fuisse Episcopos separare Christianos a Christi Corpore participando, interposita auctoritate modò coactivâ, modò directivâ pro diversâ criminum probatione. Publici peccatores peccatis atrocioribus irretiti, sive fuissent spontè confessi, sive in aliquo vel Laico, vel Ecclesiastico Judicio delati, atque convicti, prohibebantur accedere ad Eucharisticam Mensam interpositâ auctoritate coactivâ, videlicet, vi adhibitâ, & sub pœnâ excommunicationis, si parêre noluissent. Qui autem neque spontè erant confessi, neque ad Tribunal delati, auctoritate tantùm directivâ, videlicet, monitis, mandatis, suasionibus a Mensa Eucharistica removebantur. Hæc autem a Mensâ Eucharisticâ avulsio in publicis pœnitentibus diceba-

tur

tur *Medicinalis*; in excommunicatis, *Mortalis*. Siquidem publici pœnitentes, tanquam infirma membra; excommunicati autem, tanquam mortua Ecclesiæ membra habebantur. Quamobrem probabili conjecturâ, ex S. Augustino conficitur, quod pœnitentes ceteri, si quo mortifero, sed occulto peccato fuissent obnoxii, ad frequentissimum, atque communem per ea tempora usum Mensæ Eucharisticæ admittebantur. At incredibile prorsus est, sacramentaliter inexpiatos ad cibum Eucharisticum fuisse admissos hujusmodi pœnitentes; vel reos unius consensus interni graviter peccaminosi, vere contritos, & ritè confessos a frequentissimo, atque communi usu Eucharisticæ Mensæ fuisse prohibitos. Alterutrum autem contingere necesse erat, si peractâ confessione, satisfactio pœnalis, & quidem diuturna, præcedere semper debuisset Sacramentalem absolutionem. Concludendum est igitur ex S. Augustino, quod peractâ confessione, satisfactio pœnalis non semper debet præcedere Sacramentalem absolutionem.

V. Serm. 82. de verbis Evangelii Matth. c. 7. 8. 9. & 11. n. 10 11. 12. & 14. to. 5. *Corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius.... In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere prodamus hominem... Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego nolo publicè corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripia in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terrea cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac caritate præditi esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus; aut putant nos scire, quod nescimus; aut putant nos tacere, quod scimus. Sed forte quod scis, & ego scio: sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.... Age ergo, frater, esto correctus... Corrige*

te

te hodie propter cras..... Indulgentiam Deus promisit tibi, crastinum enim diem quis tibi promisit? Ubi mihi legis, indulgentiam te accepturum, si te correxeris, lege ibi mihi quantum victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantum victurus sis. Esto correctus, & semper paratus. Itaque ex S. Augustino hac caritate sacros Antistites præditos esse oportebat, ut peccatores publicos atque notorios, sive adulteros, sive homicidas, subjicerent pœnitentiæ publicæ atque notoriæ: eosdemque occultos atque secretos occultæ secretæque pœnitentiæ subjicerent. Si enim occulti adulteri, & homicidæ fuissent publicæ pœnitentiæ subjecti, ex publica capitalium criminum confessione, apud prætorios criminum vindices, capite fuissent damnati. Hac de caussâ Augustinus concludit; *Ubi contingit malum, ibi moriatur malum*; adeoque si adulterium, vel homicidium in publico contigit, moriatur in publico per pœnitentiam publicam; si autem contigit in occulto, moriatur in occulto per pœnitentiam occultam. His sanctissimè constitutis, adhortatur Augustinus cujuscumque generis peccatores, ne protrahant, quoad conscientiæ forum, conversionem suam ad diem crastinum, sed semper parati sint reddere Deo rationem, propter subitaneæ mortis periculum, & incertitudinem diei crastinæ. Nunc autem finge tibi similem, per ea tempora, fuisse adhibitam disciplinam, cùm in reconciliandis publicis pœnitentibus, reconciliatione canonicâ, externâ, & in foro Ecclesiastico; tùm in reconciliandis occultis pœnitentibus, reconciliatione Sacramentali, internâ, & in foro conscientiæ; eoipso sequeretur reconciliationem Sacramentalem, & in foro conscientiæ pœnitentis occulti, ad plures annos fuisse protractam; quemadmodum ad plures annos protrahebatur canonica reconciliatio, & in foro Ecclesiastico publici pœnitentis, donec conficeret quatuor pœnitentiæ publicæ gradus, sive stationes, quæ dicebantur; *Fletûs, Auditionis, Substrationis, Consistentiæ*. Quo quid immitius, absurdius, & ab Augustini mente remotius fingi, & excogitari potest, qui peccatores admonet, atque adhortatur, ut protinus a peccatis suis resipiscant, ut semper parati

rati sint reddere Deo rationem, propter repentinæ mortis periculum, & propter dubiam incertamque crastinam vitam? Ex his autem conjicere licet, quod ex S. Augustino peractâ confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

VI. Ad Macedonium Epist. 153. c. 3. num. 6. & 7. to. 2. *Quosdam, quorum crimina manifesta sunt, a vestra severitate liberatos, a societate tamen removemus altaris, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat.... In tantùm autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant; & tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minus tribuit, quàm ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis: & quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur...... Quamvis ergo cautè salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo. Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?*

VII. Serm. 232. c. 7. n. 8. to. 5. *Abundant hic pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes, & eunt orare pœnitentes; discutio pœnitentes, & invenio malè viventes.... Aliqui ipsi sibi pœnitentiæ locum petierunt; aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt: & qui sibi petierunt, hoc volunt facere, quod faciebant; & qui a nobis excommunicati in pœnitentiæ locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis. Vobis dico, qui vocamini pœnitentes, & non estis.... Quid differtis benè vivere, cùm putatis quia longa erit vita?*

Lon-

Longam vitam putatis, & mortem ſubitaneam non timetis? Ex allegatis ſententiis hæc eruimus documenta ad veterem diſciplinam pœnitentiæ publicæ pertinentia. I. Peccatores nullo canonico crimine irretitos; vel canonicis quidem obnoxios criminibus, ſed occultis; vel ſi publicis, nec notoriis juridicè, nec juridicè declaratis; vel ex religioſâ Chriſtiani animi demiſſione, locum pœnitentiæ publicæ ſolitos fuiſſe ab Epiſcopis ſuppliciter impetrare. De quibus S. D. in ſuperiori ſententia: *Aliqui ipſi ſibi pœninentiæ locum petierunt*. II. Super pœnitentes *Subſtratos*, qui in ſtatione tertia pœnis exercebantur, quæ a corporis ſubſtratione dicebatur *Subſtratio*, poſt expulſos *Audientes*, ſingulis ferè ſynaxibus, antequam offerent fideles, & Sacrificium inchoaretur, conſueviſſe Epiſcopos manum ſuam imponere. De his Auguſtinus in ſuperioribus: *Abundant hîc pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longiſſimus.* Hæc impoſitio manûs non erat reconciliatoria; ſiquidem non dabatur reconciliatio niſi in Statione quartâ, & ultimâ, quæ a conſiſtendo cum fidelibus ceteris adſtantibus Sacrificio, *Conſiſtentia* dicebatur. Erat igitur hæc impoſitio manûs ſignum duntaxat Epiſcopalis benedictionis ſuper humiles, ſubſtratos, & genuflexos pœnitentes, quæ forma benedictionis, per manûs impoſitionem adhibita, etiam nunc eſt in uſu apud Orientales Eccleſias. III. Solitos fuiſſe Epiſcopos, apud Judices capitalium criminum vindices, pro reis intercedere, quos pœnâ capitis liberatos publicâ pœnitentiâ plectebant. IV. Semel tantùm in vitâ, & non amplius publicam pœnitentiam pro peccatis canonicis fuiſſe conceſſam: *Ne medicina vilis*, inquit Auguſtinus, *minùs utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minus contemptibilis fuerit*. V. Qui ſemel pœnitentiâ publicâ fuerant perfuncti, ſi in nova peccata canonica, id eſt, quæ in Canone Pœnitentiali continebantur, & ex præſcripto Canonis publicæ pœnitentiæ erant obnoxia, iterum fuiſſent relapſi, non omninò deſperati, & ab omni ſpe veniæ excluſi jacebant; ſed diuturnâ, quin etiam perpetuâ pœnitentiâ ſecretâ expiandi exercebantur. De quibus S. Doctor loco citato: *Quamvis eis in Eccleſiâ locus humillimæ*

limæ pœnitentiæ non concedatur; Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Et infra: *Quis audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere ergà istos non agi, quod Apostolus ait: An ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?*

His præmissis, inquiro quid ageretur cum peccatoribus publicâ pœnitentiâ perfunctis, qui, post canonicam reconciliationem, in unicum grave peccatum, non canonicum, non publicum, non externum, sed merè internum semel fuissent ex fragilitate prolapsi? An iterum publicis pœnitentibus adjungebantur? At per Canones non licebat. An perpetuæ, vel diuturnæ pœnitentiæ secretæ subjiciebantur? At id agebatur cum relapsis in peccata canonica, qui, *post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem*, inquit Augustinus, *vel similia, vel graviora committunt*. An sacramentaliter inexpiati admittebantur ad quotidianum, & communem usum Mensæ Eucharisticæ? At dedecet hoc & Majestatem, & Sanctitatem Sacramenti Eucharistici. An ritè confessi, & verè contriti, propter unicum grave peccatum, non canonicum, non publicum, non externum, sed merè internum, sacramentaliter inabsoluti a quotidianâ Mensâ Eucharisticâ removebantur, donec explessent tempus sacramentalis satisfactionis? At discrepat severior hæc disciplina ab Augustini mente, qui, epist. 54. ad Januarium cap. 3. num. 4. to. 2. laudat, & probat sententiam eorum, qui dicebant: *Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidianâ medicina Dominici Corporis separare*. Concludendum est igitur, atque fatendum est, quod ex S. Augustino peractâ confessione, satisfactio pœnalis non semper debet præcedere Sacramentalem absolutionem.

VIII. Serm 352. c. 3. n. 8. to. 5. *Post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet; sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit: Lazare prodi foras. Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Eleva-*

tus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? Quæ solveritis, inquit, in terra, soluta erunt & in cœlo.

IX. Tract. 49. in Jo. n. 24. to. 3. *Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris, quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, & adhuc ligatus est, adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces; & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis Deus facit, magna voce clamando, idest, magnâ gratiâ vocando. Ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: Solvite illum, & finite abire. Quid est solvite, & finite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.*

X. Tract. 22. in Jo. n. 7. to. 3. *Mortuus in corde tuo tanquam in sepulcro jacebas, & tanquam saxo malæ consuetudinis gravabaris. Surge & procede. Quid est surge & procede? Crede & confitere. Qui enim credit, surrexit; qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat; cùm autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? Quod dictum est ad funus Lazari: Solvite illum, & finite abire. Quomodo? Dictum est ministris Apostolis: Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.*

XI. In Ps. 101. Serm. 2. n. 3. to. 4. *Remissio peccatorum solutio est. Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur: Solvite eum, & finite abire? Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulto impositam vicit, & processit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis. Fit hoc in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere*

nitere peccatorum suorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cœlo. Jam verò mutuor ab Augustino in Evangelicâ historiâ Lazari ad mortalem vitam a Christo Domino revocati, vivis coloribus delineatam peccatoris imaginem in Sacramento Pœnitentiæ ad immortalem vitam divinitùs restituti. Tota autem series, & ordo divini hujus atque admirabilis operis est hujusmodi. Lazarus mortuus, sepultus, quatriduanus, imago est peccatoris vitiis diu assueti, & peccatorum sanie diffluentis. Lapis è tumulo revolutus figura est remotæ malæ consuetudinis, omnisque ad conversionem impedimenti sublati. Magnus ille Christi Domini clamor, *Lazare veni foras*, excitantem Dei gratiam significat, quâ peccator hujusmodi, a diuturna morte peccati ad celerem gratiæ vitam, efficacissima virtute excitatur. Lazarus ligatis manibus, atque pedibus è sepulcro procedens peccator est per allegoriam, prius Ecclesiæ ministris occultus, qui dolorosâ occultorum scelerum confessione, eisdem ministris fit manifestus, dum confitendo peccata sua, conscientiam suam detegit, externa signa interni doloris, atque propositi non peccandi de cetero, flebili voce, suspiriis, lacrymis, exhibet ac manifestat. Quod autem nullâ interpositâ mora, ministris præcipitur, *Solvite illum, & sinite abire*, argumentum est oneris, quod ex potestate a Christo Domino accepta, incumbit Ecclesiæ ministris absolvendi protinus pœnitentem verè contritum, ac ritè confessum, retentâ Ecclesiæ consuetudine, servatisque de jure servandis, quatenus opus fuerit. Audiatur S. Doctor sic rem totam concludens Tract. 22. in Jo. num. 7. tom. 3. *Cum confessus fuerit, quid dicitur Ministris? Quod dictum est ad funus Lazari. SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE. Quomodo? Dictum est Ministris Apostolis: Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cælo.*

Quæ cum ita sint: Quid amplius differtis pœnitentem ritè dispositum a peccatorum vinculis solvere, ut ei solvantur

in Cælo, quæ vos ſolveritis ſuper terram? Cur menſes, & annos ligatum hominem detinetis, quem, è ſepulcro peccati divinâ gratiâ evocatum, per Juſtitiæ tramitem ad ſupernam Patriam abire non ſinitis? *SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE*. Revolutus eſt lapis. Sublata eſt occaſio peccandi: remota eſt mala conſuetudo: reſtitutum eſt juſtè, quidquid injuſtè fuerat ablatum. *SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE*. Ad Chriſti Domini vocem reſpirat. Spirantia ſigna doloris de veteri morte præteritâ, ſpirantia ſigna propoſiti de novâ vitâ futurâ præſefert, & exhibet. *SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE*. Proceſſit e tumulo. Non ſine maximo animi ſui pudore protulit in aperto, quidquid peccaverat in occulto. *SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE*.

Reſpondetis: *Ad integritatem & veritatem Sacramentalis abſolutionis, neceſſe eſt ex naturâ & inſtitutione Sacramenti, ut prius adimpleta & abſoluta ſit injuncta ſatisfactio pœnalis*. Enormiſſimè a Catholica veritate aberratis. A Sixto IV. hæc Petri de Oſma propoſitio damnata eſt an. 1478. *Pœnitentes non ſunt abſolvendi, niſi peractâ prius pœnitentiâ eis injunctâ*. Ab Alexandro VIII. ſequentes propoſitiones proſcriptæ ſunt die 20. Decembris 1690. XVI. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit, non politia aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, naturâ rei idipſum quodammodò dictante*. XVII. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus*. XVIII. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſiâ non habetur pro uſu, ſed abuſu*. A Clemente XI. die 8. Septembris an. 1713. damnata eſt hæc propoſitio Queſnellii, quæ, inter centum & unam, eſt LXXXVII. *Modus, plenus ſapientiâ, lumine, & caritate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere Juſtitiæ Dei, antequàm reconcilientur*. Quid plura? Iterum, iterumque cum S. Auguſtino Eccleſiæ Miniſtros, ver-

verbis Christi Domini admoneo: *SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE*. Quamobrem ex S. Augustino peracta confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

XII. In Enchiridio c. 65. n. 17. to. 6. *Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in Sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam, secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem Pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is, qui commisit a Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo, cui dicitur: Gemitus meus a te non est absconditus: Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ in qua remittuntur ipsa peccata.*

XIII. Rursus in Enchiridio c. 82. n. 22. to. 6. *Ipsa pœnitentia, quando digna caussa est, secundùm morem Ecclesiæ, cur agatur, plerumque infirmitate non agitur; quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quàm justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est.* Jam verò ex his, quæ S. Augustinus de veteri disciplinâ publicæ pœnitentiæ digito indicat, eruta e tenebris antiquitatis monumenta hæc in lucem producimus novitatis. I. definita fuisse ab Episcopis fixa, & determinata tempora peragendæ publicæ pœnitentiæ, quæ ex Concilio Agathensi cap. *Jejunii* initium sumebat a primo die Quadragesimæ, quo die indicebat Episcopus canonicis peccatoribus publicam pœnitentiam: atque hinc cæremoniam fluxisse existimant eruditi viri fidelium capita primo die Quadragesimæ sacris Cineribus aspergendi. Spatium autem temporis, quod publici pœnitentes obibant in conficiendis quatuor pœnitentiæ gradibus, seu stationibus, videlicet, *Fletûs*, *Audientiæ*, *Substrationis*, & *Consistentiæ*, non erat certum & fixum, sed varium atque diversum,

bre-

brevius, vel diuturnius, pro diversâ canonicorum criminum immanitate; quod etiam arbitrio æqui, ac prudentis Episcopi, pro mensura doloris a pœnitente significati, contrahebatur. Pro diversa criminum atrocitate quatuor annos, septem, novem, undecim, viginti, & amplius obeundæ publicæ pœnitentiæ constitutos fuisse apud Nicænum, Basilium, aliosque Patres comperimus. Reconciliabantur verò publici pœnitentes reconciliatione canonica feria V. Majoris hebdomadæ in Ecclesiâ Romanâ, ut constat ex Innocentio I. Epist. ad Decentium num. 7. In Ecclesiâ autem Mediolanensi feria VI. Majoris hebdomadæ ex Ambrosio Epist. 20. Novæ editionis ad Marcellinam Sororem num. 26. II. Publicam pœnitentiam adjunctam habuisse notam quamdam infamiæ, quam contrahebant publici pœnitentes, ii præcipuè, qui in tertio præsertim gradu, seu, statione tertia, quæ dicebatur *Substractio*, expiabantur, ubi conspersi cinere: sacco, cilicio, lugubri ac pulla veste amicti, in conspectu totius Ecclesiæ variis pœnis atque laboribus exercebantur: frequentique manûs impositioni ab Episcopo, & toto Clero genuflexi ac substrati subjiciebantur. Hanc infamiæ notam indicat Augustinus loco supra allegato Enchiridii cap. 82. num. 22. to. 6. per ea verba: *Pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quàm Justitia, quâ se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solùm cùm agitur pœnitentia, verùmetiam ut agatur, Dei Misericordia necessaria est.* Hac de causâ eruditi viri arbitrantur majores Clericos, idest, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, censuris Ecclesiasticis, depositioni, communioni laicæ, seu inter laicos, pœnitentiæ secretæ, propter majora crimina ceteroquin obnoxios; a subeunda publica pœnitentia, propter dignitatem gradûs, liberos prorsus fuisse, atque immunes. III. Quod ad rem nostram pertinet, publicam pœnitentiam constitutam fuisse pro peccatis canonicis, notoriis, publicis, semipublicis, per quam pœnitentiam fieret satis Ecclesiæ, quæque ad exemplum, atque terrorem esset ceterorum fidelium, quo a delictis hujusmodi cohiberentur. Propter has autem rationes digna causâ erat, ex S. Augustino, ut ageretur publica pœni-

pœnitentia, in qua obeunda non tam consideranda erat mensura temporis, quàm doloris. Quamobrem ex S. Doctore quoties grave peccatum non erat canonicum, non notorium, non publicum, non semipublicum, pro quo neque erat satisfaciendum Ecclesiæ, neque animarum periculo providendum; ac proindè digna caussa non erat, ut ageretur publica pœnitentia: quoties mensura doloris in confessione a pœnitente significati magna erat, eximia, redundans, nulla erat caussa protrahendi diutius reconciliationem sacramentalem, ac removendi hujusmodi pœnitentem a quotidiana, & communi participatione Mensæ Eucharisticæ. Quæ cum ita sint, ex S. Augustino deducimus, quod peracta confessione, satisfictio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

XIV. Serm. 352. c. 3. n. 9. to. 5. *Dicunt*, Pagani, *nos dare peccatis licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi: Ecce peccavi: ecce scelus admisi: jam mihi veniæ nullus est locus: pœnitentia infructuosa est: damnandus sum. Quare jam non vivo, ut volo? QUIA IBI NON INVENIO CARITATEM, HIC SALTEM PASCAM CUPIDITATEM.... Ergo si tuleris portum pœnitentiæ, desperatione augebunt peccata. Ecce nihil dicunt illi, qui putant ideò augeri peccata, quia portus pœnitentiæ in Christiana Fide proponitur. Quid ergo? Deus, ne per illam spem indulgentiæ rursus augerentur peccata, non debine providere debuit?.... Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis Providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.* Itaque ex S. Augustini placitis disputantis contra Paganos habemus, quod in Ecclesia Catholica peccantibus apertum, patentemque semper oportet esse Pœnitentiæ Portum. Frequentissima enim accidunt in procelloso vitæ præsentis mari naufragia. *Dies* noctesque temporalis, ac sempiternæ mortis periculum imminet. At jamdiu, id est, a duodecimo Ecclesiæ sæculo ad hæc usque nostra tempora, occlusus est

pec-

peccantibus pœnitentiæ publicæ Portus; quandoquidem abrogata est disciplina vetus publicæ pœnitentiæ, auctoritate Ecclesiæ, quæ suam disciplinam circa Sacramentorum etiam administrationem, salvâ illorum substantiâ, mutare potest, ex Tridentino sess. 21. cap. 2. ubi ait: *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse, ut in Sacramentorum administratione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ percipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, ac locorum varietate, magis expedira judicaverit*. Quamobrem in Ecclesiæ præsentis Regimine non aliud restat constitutum perfugium peccantibus, præter Sacracramentalis Pœnitentiæ Portum; qui proindè semper apertus in Ecclesia patere debet, ne peccator actus desperatione veniæ, sic apud se statuat, ut differit S. Doctor loco allegato: *Ecce peccavi: ecce scelus admisi: jam mihi veniæ nullus est locus: pœnitentia infructuosa est: damnandus sum. Quare jam non vivo, ut volo? QUIA IBI NON INVENIO CARITATEM, HIC SALTEM PASCAM CUPIDITATEM*. Jam verò, finge tibi miserum hominem ad occultum scopulum allisisse, atque navem fregisse, videlicet, in occultum grave peccatum incidisse. Finge tibi hujusmodi hominem fractâ Innocentiæ navi, unicâ, quæ superstat, pœnitentiæ virtutis tabulâ sustentatum, ad tutissimum Sacramentalis Pœnitentiæ Portum adnatare. His positis. Si naufragus pœnitens a custodibus portûs, id est, a Sacramentalis Pœnitentiæ ministris a portu tenendo, hoc est, a consequenda absolutione Sacramentali prohibeatur; si decies, vicies, tricies, procul a portu arceatur, videlicet, inabsolutus abire cogatur, quid aliud futurum est, quâm ut ita apud se decernat, atque constituat? *Ecce peccavi: ecce scelus admisi: jam mihi veniæ nullus est locus: pœnitentia infructuosa est. damnandus sum. Quare jam non vivo, ut volo?* Postremò, desperata prorsus salute, sic miserum hominem concludere necesse est: *QUIA IBI NON INVENIO CARITATEM, HIC SALTEM PASCAM CUPIDITATEM*: videlicet: *Quia non invenio caritatem in occluso portu Pœnitentiæ, pascam cupiditatem in aperto mari Licentiæ.*

centiæ. Quamobrem ex iis, quæ de veteri disciplina canonicæ pœnitentiæ disputat S. Doctor, legitime arguimus, quod ex S. Doctore peracta confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

Ad primum ergò dicendum, quod ex §. Augustino nullus ab errore ad veritatem, vel a quocunque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem transire potest, sine pœnitentia, videlicet, sine actibus propriis virtutis Pœnitentiæ, quæ præscribit, ut commutetur in melius præterita prava sententia, & præterita prava voluntas. Dixerat enim superiori num. 52. loci allegati: *Confusio adducit peccatum, cùm erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso judice teneatur..... Confusio autem adducit gratiam, & gloriam, cùm erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod se facere piget, illa perniciosa confusione superatum.*

Ad secundum dicendum, quod S. Augustinus non agit loco allegato de satisfactione Sacramentali, quæ pars integralis est Sacramenti; sed differit de Canonica satisfactione, quæ erat in usu per ea tempora pro peccatis canonicis, idest, expressis in canone, vel notoriis, vel publicis, vel semipublicis, vel sponte confessis, vel juridicè comprobatis; quæ satisfactio solemnem atque canonicam cum Ecclesia, cui publicè fiebat satis, præcedebat reconciliationem. Ceterum S. D. eodem allegato cap. 4. sub num. 10. ejusdem Sermonis 351. *De Pœnitentia* adhortans semipublicos peccatores canonicis criminibus implicatos, non per vim & metum, sed consilio & suasione, utpote semipublicos, ad subeundam publicam pœnitentiam, his verbis eorum occurrit excusationibus: *Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salubriter hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad Sacramenta Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus.* Cujusmodi autem fuerit correctio, & pœnitentia Petri per hæc verba explicat S. Doctor Epist. 265. Ad Seleucianam num. 2. to. 2. *Quod autem Petrus dicitur egisse Pœnitentiam, cavendum est ne ita puta-*

 tur

tur egisse, quomodo agunt in Ecclesia, qui propriè Pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut Primum Apostolorum inter tales Pœnitentes numerandum putemus? Pœnituit enim eum negasse Christum, quod ejus indicant lacrymæ. Sic enim scriptum est, quia flevit amarè. Itaque ex S. Augustino sicuti Petrus, nulla præmissa satisfactione pœnali, præter sincerum animi dolorem externis lacrymis significatum, correctus evasit; ita ex S. Doctore quidam semipublici peccatores, canonicis criminibus irretiti, nulla præmissâ satisfactione pœnali, præter sincerum animi dolorem, externa confessione significatum, corrigebantur; & hac ratione correcti accedebant licitè ad Eucharisticam Mensam, non sanè inabsoluti, sed absoluti. Quamobrem ex S. Augustino peracta confessione, satisfactio pœnalis non semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem.

Ad tertium dicendum, quod S. Augustinus loco nobis objecto non disputat de non canonica, sed de canonica pœnitentia, in qua canonica satisfactio pro peccatis canonicis longo temporis intervallo præcedebat canonicam reconciliationem, atque canonicam Mensæ Eucharisticæ participationem. Id autem innuere Augustinus videtur verbis illis loci allegati: *Est pœnitentia gravior, atque luctuosior, in quâ propriè vocantur in Ecclesiâ Pœnitentes*; ac proindè præter canonicam pœnitentiam, quâ propriè vocabantur in Ecclesia Pœnitentes, erat ex S. Doctore pœnitentia altera non canonica, quâ non adeò propriè vocabantur in Ecclesia Pœnitentes, eo quòd esset pœnitentia occulta atque secreta, quæ in foro duntaxat conscientiæ tota peragebatur. Jam verò ex S. Augustino non erat eadem ratio, series, & ordo canonicæ, & non canonicæ pœnitentiæ. Siquidem per canonicam pœnitentiam fiebat satis etiam Ecclesiæ, quæ de externis judicat, non de internis. Quare necesse erat, ut canonicam cum Ecclesia reconciliationem præcederet satisfactio canonica, publica, externa, satisque diuturna, quæ idonea esset cùm ad delendum perniciosum exemplum, tùm ad incutiendum terrorem utilem, quo fideles ceteri ab immanioribus perpetrandis criminibus deter-

deterrerentur. At verò pœnitentiâ Sacramentali Deo satisfit, cui gemitus noster non est absconditus, qui oculatus est Judex interioris animi nostri, doloris intimi, secretique propositi, qui actus conjuncti cum humili, verecunda, atque sincera confessione culparum indistinctam etiam rationem habent exhibitæ satisfactionis, præcedentis Sacramentalem reconciliationem, quam consequitur a sacris Ministris injuncta operum satisfactio pro delendo temporalis pœnæ reatu. Sed jam audiatur S. Doctor Enchiridii cap. 65. num. 17. tom. 6., qui rationem & disciplinam pœnitentiæ canonicæ a ratione & disciplina pœnitentiæ non canonicæ hic reipsa secernit. *In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit; cùm sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus a te non est absconditus, rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ.* Quod si Ecclesiæ non fuerit canonicâ pœnitentiâ satisfaciendum, tunc Deo satisfit pœnitentiâ non canonicâ, cujus celeris pœnitentiæ munere ex S. Doctore Serm 351. *de Pœnitentia* cap. 4. n. 10. to. 5. protinus ab occultis criminibus *Multi corriguntur ut Petrus*, & ad quotidianam Eucharisticam Mensam frequentes cum aliis accedunt.

Ad quartum dicendum, quod S. Augustinus loco allegato explicans versiculum secundum Psalmi 138. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam: Sessionis* nomine significari docet humilem pœnitentiam; vocabulo autem *resurrectionis*, supernam justificationem; ac proinde sicuti sessio præcedit resurrectionem, ita ex S. Doctore pœnitentia præcedit justificationem. Mox alloquens peccatores, qui sine prævia humili pœnitentia ad sublimem Justitiæ gradum ascendere contendebant, admonet illos versiculo secundo Ps. 126. *Surgite postquam sedistis, qui manducatis panem doloris*. Docetque pœnitentes doloris panem manducare, priusquam de

pœnitentiæ ſeſſione ſurgant ad gratiæ reſurrectionem, quibus ea verba Pſalmi 41. verſiculo 9. applicat: *Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte*. Jam verò, ſive teſtimonium S. Doctoris accipiatur de publica pœnitentia, ſive de pœnitentia Sacramentali, optimè conveniunt ea, quæ ibi differit S. Doctor. Siquidem publica pœnitentia præibat canonicam reconciliationem, ſicuti pœnitentia Sacramentalis præcedit Sacramentalem abſolutionem: Cum hoc tamen diſcrimine, quod in pœnitentia canonica, per quam fit ſatis etiam Eccleſiæ, publica peccatorum confeſſio, & triſtia ſigna externa doloris interni, diuturno temporis ſpatio antecedebant canonicam reconciliationem; in pœnitentia verò Sacramentali, qua ſoli Deo ſatisfit, ſecreta peccatorum confeſſio interni doloris ſignificativa, brevi temporis intervallo præcedit Sacramentalem abſolutionem. Naturam etiam pœnitentiæ Sacramentalis expreſſiſſe videtur Auguſtinus eodem loco allegato, ubi verba illa Pſalmi: *Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam*, accipiens de Corpore Chriſti, quod eſt præſens Eccleſia pœnitens, his verbis pœnitentem Chriſtianum Populum ad Deum clamantem inducit: *Coram oculis tuis, & peccata confeſſus ſum, & tuâ gratiâ juſtificatus ſum*. Ecce tibi confeſſionem peccatorum ſecretam coram oculis Domini, quam, nullâ pœnalis ſatisfactionis interpoſitâ morâ, beneficio Sacramentalis abſolutionis, ſtatim conſequitur juſtificatio.

Ad quintum dicendum, quod S. Auguſtinus in allegata Epiſtola ad Honoratum deterret ab arripienda fuga Eccleſiæ Paſtores, Epiſcopos, atque Presbyteros, imminente obſidionis atque excidii periculo, quoties verſantur in communi vitæ diſcrimine Paſtores cum ſuis gregibus. *Cum autem omnium*, inquit S. Doctor, num. 2. allegatæ Epiſtolæ, *ideſt, Epiſcoporum, Clericorum, & Laicorum eſt commune periculum, hi qui aliis indigent non deſerantur ab his, quibus indigent*. Quoties enim appetuntur ad necem non ſoli Paſtores, ſed etiam oves, ſi turpi fuga ſibi Paſtores conſulant, non ſe Paſtores, ſed mercenarios eſſe demonſtrant. De quibus S. Doctor ſub num 6. *Cum autem plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque*

que subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici Corporis defuit. Mox num. 8. sub oculis exhibet turbas, tumultus, concursationes exterritæ plebis ingruente urbis excidio, ac direptione; aliis baptismum, aliis reconciliationem, aliis pœnitentiæ ipsius actionem flagitantibus. *Ubi si ministri desint*, prosequitur Augustinus, *quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus etiam luctus filiorum suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? .... Si autem ministri adsint.... omnibus subvenitur, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur.*

Ex his autem eruitur I. quod prætermissa consuetudine, quæ tunc temporis erat in usu, exercendi cathecumenos pœnitentia diuturna, omnes in iis circumstantiis sine cunctatione baptizabantur. II. quod publici peccatores actionem pœnitentiæ flagitantes celerrimè expediebantur, fortasse cineris aspersione, corporis substratione, manûs impositione, quam, omni rejectâ morâ, & canonica cum Ecclesia, & Sacramentalis cum Deo reconciliatio consequebatur. III. quod peccatores occulti non indigentes reconciliatione canonicâ verè contriti, & rite confessi, nullâ præmissa satisfactione diuturna, actutùm absolvebantur. IV. quod omnes prorsus, vel lustralibus baptismi aquis, ut cathecumeni; vel sacramentali tantùm reconciliatione, ut peccatores occulti; vel reconciliatione canonicâ simul atque sacramentali, ut publici peccatores, reconciliati, cum ceteris Justis cibo Eucharistico confestim reficiebantur. Jam verò si diuturna operis satisfactio ex Christi Domini institutione, & ex ipsâ Sacramenti Pœnitentiæ naturâ præcedere semper deberet Sacramentalem absolutionem, ut contendebant propositiones ab Alexandro VIII. proscriptæ, nulla & invalida fuisset in Augustinianis casibus absolutio Sacramentalis præcedens diuturnam operis satisfactionem. Quemadmodum enim nullus, & invalidus est baptismus, in quibuscum-

buſcumque circumſtantiis aliter, quam aquâ, & verbis a Chriſto Domino inſtitutis adminiſtratus; ita pariter nulla, & invalida in expoſitis circumſtantiis fuiſſet abſolutio Sacramentalis, ante protractam diutius pœnalis operis ſatisfactionem adminiſtrata, ſi & Chriſti Domini inſtitutio, & ipſa Sacramenti Pœnitentiæ natura præviam hujuſmodi poſtularent ſatisfactionem. Concludendum eſt igitur ex S. Auguſtino, quod peractâ confeſſione, ſatisfactio pœnalis non ſemper præcedere debet Sacramentalem abſolutionem.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Plerique boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur, & ea, quæ ipſi ſciunt, Judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen Judici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.* (b) *Corripienda ſunt* enim *coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, ipſa corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius. In ſecreto debemus corripere, in ſecreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publicè corripere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo: Corripio in ſecreto: Pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac caritate præditi eſſe debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripiamus: aut putant nos ſcire, quod neſcimus; aut putant nos tacere, quod ſcimus. Sed fortè, quod ſcis, & ego ſcio; ſed non coram te corripio; quia curare volo, non accuſare. Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando mari-*

maritorum salutem quærentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. (c) *Quosdam* verò, *quorum crimina manifesta sunt, a societate removemus altaris, ut pænitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter pænitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat.* (d) Nolite ergo *illa committere, pro quibus necesse est, ut a Christi Corpore separemini, quod absit a vobis. Illi enim, quos videtis agere pænitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pænitentiam.* (e) Quin *aliquando in tantum hominum iniquitas progreditur, ut etiam post actum pænitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minus tribuit, quàm ante tribuebat largissima munera vitæ, & salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pænitentiæ non concedatur; Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Quamvis ergo cautè salubriterque provisum sit, ut locus humillimæ pænitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pænitentiam se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?* (f) *Implicatus* igitur *mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in Cælo? Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, & supplex, id tamen agat, quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pænitentiam,*

tentiam, non recuset, non resistat, non mortali & lethiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. (g) *Neque enim de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur, Gemitus meus a te non est absconditus, rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* (h) *At ipsa pœnitentia, quando digna caussa est secundùm morem Ecclesiæ cur agatur, plerumque infirmitate non agitur; quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quàm justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo: Unde non solum cum agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei misericordia est.* (i) Hinc quando *Dominus clamavit, Lazare prodi foras, cessit voci misericordiæ moles sepulturæ: cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo: Et ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? Quæ solveritis, inquit, in terra, soluta erunt & in Cœlo.* (*k*) *Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris, quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, & adhuc ligatus est, adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces; & si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus jaces. Quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis, velut exeundo, manifestari? Sed ut confitearis Deus facit, magna voce clamando, idest, magnâ gratiâ vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus,*

con-

confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, Solvite illum, & finite abire. Quid est solvite, & finite abire? Quæ solveritis in terra, erunt soluta & in Cælo. (l) Sic tu *mortuus in corde tuo tanquam in sepulcro jacebas, & tanquam saxo malæ consuetudinis gravabaris. Surge & procede. Quid est surge & procede? Crede & confitere. Qui enim credit, surrexit: qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequàm confiteretur, occultus erat: cùm autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? Quod dictum est ad funus Lazari: Solvite illum, & finite abire. Quomodo? Dictum est ministris Apostolis: Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cælo.* (m) Remissio enim *peccatorum solutio est. Quid* enim *prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur: Solvite illum, & finite abire? Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulto impositam vicit, & processit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis. Fit hoc in corde pænitentis. Cum audis hominem pænitere peccatorum suorum, jam revixit: Cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in Cælo.* (n) Sed *dicunt* Pagani *nos dare peccatis licentiam, quia portum pænitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi: Ecce peccavi: ecce scelus admisi: jam mihi veniæ nullus est locus: pænitentia infructuosa est: damnandus sum. Quare jam non vivo, ut volo? QUIA IBI NON INVENIO CARITATEM, HIC SALTEM PASCAM CUPIDITATEM. Ergo si tuleris portum pænitentiæ, desperatione augebunt peccata. Ecce nihil dicunt illi, quia putant ideo augeri peccata, quia portus pænitentiæ in Christiana Fide proponitur. Quid ergo? Deus ne per illam spem indulgentiæ rursus augerentur peccata, non dehinc providere debuit? Ecce ad*

utrumque vigilavit pro nobis Providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus. Rursus: ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. (o) *Age ergo, frater, esto correctus, corrige te hodie propter eras. Indulgentiam Deus promisit tibi, crastinum enim diem quis tibi promisit? Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris, lege ibi mihi, quantum victurus sis. Non lego, inquis; nescis ergo, quantum victurus sis. Esto correctus, & semper paratus.* (p) *Quid* igitur *differtis benè vivere, cùm putatis, quia longa erit vita? Longam vitam putatis, & mortem subitaneam non timetis?* Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Serm. 351. c. 4. n. 10. to. 5. (*b*) Serm. 82. de Verbis Evang. c. 7. & 8. n. 10. & 11. to. 5. (*c*) Ad Macedonium Epist. 153. c. 3. n. 6. to. 2. (*d*) De Symbolo ad Catechumenos Serm. 1. c. 7. n. 15. to. 6. (*e*) Ad Macedonium Epist. 153. c. 3. n. 7. to. 2. (*f*) Serm. 351. c. 4. n. 9. to. 5. (*g*) In Enchiridio c. 65. n. 17. to. 6. (*h*) In Enchiridio c. 82. n. 22. to. 6. (*i*) Serm. 352. c. 3. num 8. to. 5. (*k*) Tract. 49 in Joan. n. 24. to. 3. (*l*) Tract. 22. in Jo. n. 7. to. 3. (*m*) In Ps. 101. Serm. 2. n. 3. to. 4. (*n*) Serm. 352. c. 3. n. 9. to. 5. (*o*) Serm. 82. de Verbis Evang. c. 9. & 11. n. 12. & 14. to. 5. (*p*) Serm. 232. c. 7. n. 8. to. 5.



QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA

DE MERITIS JUSTORUM

In octo Articulos divisa.

Quemadmodum ea, quæ hactenus in superioribus sunt disputata, ex rigidiorum hominum sententia, Infidelibus & peccatoribus omnem præcludunt viam, quo minus ab errore & pravitate sua revocentur; ita quæ in quæstionem vocanda supersunt, nimia quorumdam vel severitate, vel indulgentia, justos quosque in errorum, atque vitiorum abrupta agunt præcipites. Nimia enim severitas justum hominem adigit in desperationem; nimia vero laxitas eundem impellit in præsumptionem. Cum igitur inter utrumque extremum media via sit tenenda, S. Augustino Duce, illam aggredimur, quin è media orbita ad oppositos præcipitis utrinque ripæ, hinc præsumptionis, inde desperationis margines deflectamus. Octo ergo sunt, quæ in hac Tertia Quæstione sese objiciunt investiganda. Primum est. Utrum ex S. Augustino imperfectiores Justi a frequentia Eucharisticæ Mensæ sint removendi? II. Utrum ex S. Augustino Populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis habeat aliquam Ministerii partem? III. Utrum ex S. Augustini placitis expediat Populum utriusque sexûs indiscriminatim Sacram Scripturam legere? IV. Utrum ex S. Augustino Improbandæ sint preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis? V. Utrum ex S. Augustino Cælibis, & conjugalis vitæ paria sint merita? VI. Utrum S. Augustini tempore floruerint Ministri Ecclesiæ castitatis vinculo obstricti? VII Utrum S. Augustini tempore floruerint Sacræ Virgines vinculo castitatis obstrictæ? VIII. Utrum Sancti Augustini tempore floruerint Regulares Viri paupertatis, castitatis, & obedientiæ vinculo obstricti?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex S. Augustino imperfectiores Justi a frequentia Eucharisticæ Mensæ sint removendi?

Videtur, quod ex S. Augustino imperfectiores Justi a frequentia Eucharisticæ Mensæ sint removendi: Id autem ex subjectis S. Doctoris sententiis ita probari videtur.

I. Serm. 132. c. 3. & 4. n. 3. & 4. to. 5. *Qui verò jam voviſtis, corpus arctius castigate, & concupiscentiæ frenos, nec in ipsa, quæ permissa sunt, patiamini relaxare; ut non solùm à concubitu illicito divertatis, sed etiam licitum contemnatis adſpectum. Memento te in quocunque sexu sitis sive mares, sive fœminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra .... Cogitantes ergo gradus vestros, servantes & professiones vestras, accedite ad Carnem Domini, accedite ad Sanguinem Domini. Qui se scit aliter esse, non accedat.*

II. Serm. 351. c. 4. n. 7. to. 5. *Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini: Ut qui separari a Regno Cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis interim separetur.*

III. Serm. 58. c. 4. n. 5. to. 5. *Intelligitur etiam hoc valde benè: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni fiant, ut in bonitate, & fide, & vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo Pane.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino imperfectiores Justi a fre-

frequentia Eucharisticæ Mensæ non sunt removendi. Plures enim sunt sententiæ, quas hic in medium producimus, ex S. Augustino depromptæ, quæ concludunt, imperfectiores Justos ab Eucharisticæ Mensæ frequentia removendos non esse.

I. Serm. 227. to 5. *Memor sum promissionis meæ; promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem, quo exponerem Mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis, & cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi: Calix ille, imo quod habet Calix sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi.*

II. Ad Januarium Epistola 54 c. 3. n. 4 to. 2. *Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat: Qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. Alius contra: Imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab Altario removeri, ad agendam pænitentiam, ac eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pænitentiam; non ut arbitrio suo cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterum peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt... Nam & ille honorando, non audet quotidie sumere; & ille honorando, non audet ullo die prætermittere.*

III. Tract. 26. in Jo. n. 15. in fine to. 3. *Hujus rei Sacramentum, idest, unitatis Corporis, & Sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica Mensa* præ-

præparatur, & de Mensa Dominica sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res vero ipsa, cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.

IV. Lib. de Serm. Domini in Monte c. 7. n. 26. p. 2. to. 3. *De Sacramento autem Corporis Domini, ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit.*

V. Serm. 57. Ad Catechumenos competentes c. 7. n. 7. to. 5. *Quando panem petimus, ibi omnia accipimus. Norunt etiam spiritalem alimoniam fideles, quam & vos scituri estis, accepturi de Altari Dei. Panis erit & ipse quotidianus, huic vitæ necessarius. Nunquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cùm ad ipsum Christum venerimus, & cum illo in æternum regnare cæperimus? Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est.*

VI. Ad Honoratum Epist 228. n. 6. to. 2. *Cùm autem plebs manet, & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici Corporis defuit.* Superioribus igitur testimoniis S. Augustinus certiores nos facit de antiqua universalis Ecclesiæ consuetudine quoad usum Mensæ Eucharisticæ. Siquidem narrat, quod alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis a Sacerdotibus in Mensa Dominica præparabatur, & a fidelibus de Mensa Dominica sumebatur Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini: Quod omnes fideles in partibus Occidentalibus diebus singulis; in partibus verò Orientalibus pauciores diebus singulis, multò plures non singulis diebus cænæ Dominicæ communicabant. Neutri tamen ex S Augustino vituperandi, neutri reprehendendi; utrique enim Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini honorabant. Illi, quia ex necessarii hujus cibi indigentia non audebant ullo die prætermittere cibi Eucharistici usum; isti, quia ex adorabilis hujus cibi reverentia non audebant diebus singulis

gulis Eucharisticum cibum accipere. Frequentissimus autem usus cibi Eucharistici, qui in antiquiore Ecclesia invaluerat, petitione illa orationis Dominicæ totus innitebatur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quam Augustinus, plurimique Patres interpretabantur de Pane Eucharistico, cujus quotidianum usum præsenti vitæ necessarium esse affirmabant. Hinc S. Doctor ad Neophytos recens Ecclesiæ adscriptos verba faciens, admonet eos, ut meminerint se quotidie accepturos Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Tantùm autem abest, ut S. Doctor improbet frequentem usum Eucharistici panis, ut potius doceat non aliter quàm diabolica opera fieri, ut, deficientibus sacris ministris, deficiat quandoque fidelibus quotidiana Dominici Corporis administratio. Quamobrem cum Augustini ætate communis fuerit, quotidianus, vel frequentissimus in Ecclesia Eucharisticus usus: nec, Augustino teste, Augustiniana tempora meliora fuerint temporibus nostris, concludendum est, quod ex S. Augustino imperfectiores Justi a frequentia Mensæ Eucharisticæ minimè sunt removendi.

VII. Lib. 4. Contra duas Epistolas Pelagianorum c. 9. n. 26. to. 10. *Quid tam in libero arbitrio constitutum, quàm quod lex dicit: Non adorandum Idolum, non mæchandum, non homicidium perpetrandum? Ista autem sunt, atque hujusmodi crimina, quæ si quisquam commiserit, a Corporis Christi communione removetur.*

VIII. Ad Aurelium Epist. 22. c. 1. n. 3. to. 2. *Horum ergo trium, cubilia, & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modò Ecclesiastico ministeria, sed ipsa etiam Sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit.*

IX. Lib. de Dono Perseverantiæ c. 4. n: 7. to. 10. *Quarta petitio est: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ubi beatus Cyprianus ostendit, quomodò & hic intelligatur perseverantia postulari: Ait quippe inter cetera: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes.*

cantes a cælesti pane prohibemur, a Christi Corpore separemur: Hæc verba Sancti hominis Dei, perseverantiam prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne à Christi Corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant.

X. Serm. 351. de Pœnitentia c. 4. n. 7. to 5. *Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini: ut qui separari a Regno Cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam, a Sacramento cælestis panis interim separetur... Ad illud autem Altare, quò Præcursor pro nobis introiit Jesus, quò caput Ecclesiæ præcessit, membris ceteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt... Quomodò ergò in interiora veli, & in illa invisibilia Sancta Sanctorum intrare audebit, aut poterit, qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper a visibilibus separari?* Jam verò locis productis Augustinus Cypriano assentitur, & cum eo docet verba illa dominicæ precationis, *Panem nostrum quotidianam da nobis hodie*, accipienda esse de Pane Eucharistico, quem quotidianum esse Populi Christiani cibum affirmat: additque cum Cypriano, ex Ecclesiastica disciplina solos Christianorum nequissimos, propter publica & gravissima crimina canonicè notatos, & in pœnitentium classem detrusos, atque conjectos, ab accessu Eucharisticæ Mensæ prohiberi, Christianis ceteris ad Mensam Eucharisticam quotidie accedentibus. Res igitur est apertissima, quod ex S. Augustino Cyprianum in medium proferente, juxta antiquioris Ecclesiæ disciplinam, atque consuetudinem, imperfectiores Justi a frequentia Eucharisticæ Mensæ nequaquam sunt removendi.

XI. Ad Macedonium Epist. 153. cap. 5. num. 15. tom. 2. *Quidquid autem post eam, quæ fit in baptismo, abolitionem peccatorum, in hac vita manendo peccamus, etiamsi non tale sit, quod a divinis removeri compellat Altaribus, non*

do-

dolore sterili, sed misericordiæ sacrificiis expiatur.

XII. Tract. 26. in Jo. n. 11. to. 3. *Videte ergo, fratres, Panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad Altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad Altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittis, dimittetur tibi. Securus accede: Panis est, non venenum.*

XIII Serm. 17. c. 5. n 5. to 5. *Tempus est misericordiæ ut corrigamur, nondum venit tempus judicii. Locus est, spatium est. Peccavimus, corrigamur: nondum finita est vita, nondum clausus est dies, nondum expiratum est: non desperetur, quod est pejus. Quoniam propter ipsa peccata humana & tolerabilia, & tantò crebriora, quantò minora, constituit Deus in Ecclesia, tempore misericordiæ prærogandæ, quotidianam medicinam, ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: ut his verbis lotâ facie ad Altare accedamus, & his verbis lotâ facie Corpore Christi, & Sanguine communicemus.*

XIV. Serm. 59. c. 4. n. 7. to. 5 *In baptismo omnia debita, idest, peccata prorsus dimittantur nobis; sed quia nemo hic potest vivere sine peccato, etsi non magno crimine, unde separetur ab illo Pane, tamen nemo potest sine peccatis esse in hac terra, & non possumus accipere nisi unum baptismum semel; in oratione accipimus, unde quotidie lavemur, ut nobis peccata nostra quotidie dimittantur.* Hæc est igitur S. Augustini sententia, videlicet, non qui peccatis minoribus est adspersus, sed qui magno crimine fuerit contaminatus, a Pane Eucharistico est separandus; quotidianis enim peccatis obnoxius, sed non mortiferis, securus accedit ad Eucharisticum Panem; nam minora peccata post baptismum admissa, misericordiæ sacrificiis expianda, minimè nos compellunt, ut his peccatis obnoxium hominem a divinis Altaribus removeamus. Hac etiam quotidiana prece, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ab humanis peccatis tolerabilibus, & tantò crebrioribus, quantò minoribus abluimur:

mur: & sic lotâ conscientiæ facie ad Altare quotidie accedimus, & Corpore Christi, & Sanguine communicamus. Quamobrem ex S. Augustino minora, atque leviora peccata impedimento non sunt, quominus imperfectiores Justi frequentes ad Eucharisticam Mensam accedant; ac proinde ex S. Doctore imperfectiores Justi a frequentiâ Eucharisticæ Mensæ minimè sunt removendi.

Ad primum ergo dicendum, quod Sanctus Augustinus loco citato deterret a Mensa Eucharistica impudicos homines, qui vel soluti ab uxoribus dant operam rei uxoriæ, vel copulati conjugio thori fidem non servant uxoribus, vel voto castitatis obstricti adhuc Veneri indulgent; adeoque non prohibet hic a Mensa Eucharistica Justos minus perfectos, sed fornicarios, adulteros, & sacrilegos. Siquidem c. 2. n. 2. loci allegati: *Quanta*, inquit, *nobis cura esse debet in ædificandis fidelibus, ut prosit eis quòd accedunt, non sibi tales epulas in judicium manducent & bibant? Ut autem non in judicium manducent, & bibant, benè vivant .... Qui conjugati estis, fidem thori servate uxoribus vestris .... Qui autem uxores nondum habetis, & tamen ad Mensam Dominicam jam acceditis, & Carnem Christi manducatis, & Sanguinem bibitis, si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris.* Deinde c. 4. n. 4. *Cogitantes gradus vestros, servantes & professiones vestras, accedite ad Carnem Domini, accedite ad Sanguinem Domini. Qui se scit aliter esse, non accedat. Compungimini magis sermone meo. Congratulantur enim, qui sciunt servare conjugibus, quod a conjugibus exigunt, qui sciunt servare omnimodò continentiam, si hanc Deo voverunt.* Postremò per hæc verba sermonem concludit: *Quicumque, impudici estis, corrigite vos, dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui possum, impudicos autem in nequitia perseverantes, de judicio, & damnatione Dei liberare non possum.*

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino homo, qui se indignum judicare debet participatione Corporis & Sanguinis Domini, & per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cælestis panis interim separandus, non est imperfectior justus, sed est criminosus peccator, mortiferis peccatis onustus, per-

per Ecclesiasticam disciplinam inter publicos pœnitentes coercendus. Sic enim habet sub initio citati capitis 4. Serm. 351. qui inscribitur *de Pœnitentia*, & triplicem complectitur pœnitentiam: *Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet: & de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino.* Agens vero de levioribus peccatis, non præscribit S. Doctor separationem a Mensa Eucharistica, sed longè alia remedia suppeditat, eodem Serm. 351. c. 3. num. 5. & 6. tom. 5. his verbis: *Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium, & adulterium, vel cetera hujusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt, necant; aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desiccentur. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antistites ad Altare assistentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in Baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus; sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, & ipsarum orationum, ac supplicationum, quisque pro suis viribus offerre non cessat.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino, qui non perseveraverint in vita bona, videlicet, in vita pura, atque integra ab omni graviori scelere, ab illo Pane separabuntur; adeoque non justos imperfectiores levioribus peccatis adspersos, sed nequissimos peccatores gravissimis criminibus obrutos Sanctus Doctor ab Eucharistica Mensa deturbat. Sic enim habet Serm. 56. de Oratione Dominica c. 8 n. 12. tom. 5. *Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis. Eleemosynæ, & orationes mun-*

dant peccata, tantùm ne talia committantur, unde necesse sit separari nos a Pane quotidiano, vitantes debita, quibus debetur certa, & severa damnatio.... Abstinentes ab Idololatria, a constellationibus mathematicorum, a remediis incantatorum, abstinentes a deceptionibus hæreticorum, a conscissionibus schismaticorum, abstinentes ab homicidiis, ab adulteriis, & fornicationibus, a furtis, & rapinis, a falsis testimoniis, & si qua fortè alia, non dico quæ exitiales exitus habent, unde necesse sit præcidi ab Altari, & ligari in terra, ut ligetur in Cælo, valdè periculosè & mortiferè, nisi solvatur in terra, quod solvatur in Cælo. Istis ergo exceptis, non deest unde homo peccet.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Memor sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem Mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis, & cujus noƐte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi.* (b) *Norunt spiritalem alimoniam fideles, quam & vos scituri estis, accepturi de Altari Dei. Panis erit & ipse quotidianus huic vitæ necessarius. Nunquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cùm ad ipsum Christum venerimus? Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est.* (c) Sed *dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat. Qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. Alius contra: Imo, inquit, si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab Altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.*

Hoc

Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam; non ut arbitrio suo, cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterum peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini; sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendit. Nam & ille honorando, non audet quotidiè sumere; & ille honorando, non audet ullo die prætermittere. (d) *De Sacramento autem Corporis Domini, ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in orientalibus partibus, non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit.* (e) *Alia* siquidem *sunt, quæ per loca terrarum, regionesque variantur; sicut est, quod alii jejunant Sabbato, alii non. Alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo offeratur: alibi Sabbato tantùm, aut Dominico: alibi tantùm Dominico.* (f) Itaque *hujus rei Sacramentum, idest, unitatis Corporis, & Sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium, res verò ipsa, cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.* (g) Hinc *si ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, veniet lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici Corporis defuit.* (h) *Quarta* enim *petitio est: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; ubi beatus Cyprianus: Hunc panem, inquit, dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi Corpore separemur. Hæc verba Sancti hominis*

minis Dei perseverantiam prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne a Christi Corpore separentur; sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant. (i) Hujusmodi sunt *cubilia, & impudicitiæ*, quæ *tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modò Ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit.* (k) Similiter *non adorandum Idolum, non mæchandum, non homicidium perpetrandum. Ista autem sunt, atque hujusmodi crimina, quæ si quisquam commiserit, a Corporis Christi communione removetur.* (l) Tunc sanè *se indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini, ut qui separari a regno Cælorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cælestis panis interim separetur. Quomodò enim in interiora veli, & in illa invisibilia Sancta Sanctorum intrare audebit aut poterit, qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper a visibilibus separari?* (m) *Quidquid autem post eam, quæ fit in Baptismo, abolitionem peccatorum, in hac vita manendo peccamus; etiamsi non tale sit, quod a divinis removeri compellat Altaribus, non dolore sterili, sed misericordiæ sacrificiis expiatur.* (n) Etenim *in Baptismo omnia debita, id est, peccata prorsus dimittuntur nobis; sed quia nemo hic potest vivere sine peccato, etsi non magno crimine, unde separetur ab illo Pane, tamen nemo potest sine peccatis esse in hac terra, & non possumus accipere nisi unum Baptismum semel, in oratione accipimus, unde quotidie lavemur, ut nobis peccata nostra quotidie dimittantur.* (o) *Tempus est* enim nunc *misericordiæ ut corripiamur, nondum venit tempus judicii. Locus est, spatium est. Peccavimus, corrigamur. Nondum finita est via, nondum clausus est dies, nondum expiratum est: non desperetur, quod est pejus. Quoniam propter ipsa peccata humana & tolerabilia, & tanto crebriora, quantò minora, constituit Deus in Ecclesia, tempore misericordiæ prærogandæ, quotidianam medicinam, ut dicamus:*

Di-

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, ut his verbis lotâ facie ad Altare accedamus, & his verbis lotâ facie, Corpore Christi, & Sanguine communicemus. (p) *Videte ergo, fratres, Panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad Altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad Altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittis, dimittetur tibi. Securus accede: Panis est, non venenum.* Hactenus ex Sancto Augustino.

(a) Serm. 227. to. 5. (b) Serm. 57. ad Catechumenos competentes c. 7. n. 7. to. 5. (c) Ad Januarium Epistola 54. c. 3. n. 4. to. 2. (d) Lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 7. n. 26. p. 2. to. 3. (e) Ad Januarium Epist. 54. c. 2. num. 2. to. 2. (f) Tract. 26. in Jo. n. 15. in fine to. 3. (g) Ad Honoratum Epist. 228. n. 6. to. 2. (h) Lib. de Dono Persev. c. 4. n. 7. to. 10. (i) Ad Aurelium Epist. 22. c. 1. n. 3. to. 2. (k) Lib. 4. contra duas Epist. Pelag. c. 9. n. 26. to. 10. (l) Serm. 351. de Pœnitentia c. 4. n. 7. to 5. (m) Ad Macedonium Epist. 153. c. 5. n. 15. to. 2. (n) Serm. 59. c. 4. n. 7. to. 5. (o) Serm. 17. c. 5. n. 5. to. 5. (p) Tract. 26. in Jo. n. 11. to. 3.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Augustino Populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis habeat aliquam Ministerii partem?

Videtur, quod ex S. Augustino Populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis habeat aliquam Ministerii partem: Hanc autem propositionem, quæ huc advocantur S. Doctoris testimonia satis probabilem videntur facere.

I. Lib. 20. contra Faustum c. 18. to. 8. *Verum Sacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo ejus Altare solus Christus implevit, in victimis pecorum imitata Dæmonia sibi arroganter exposcunt. Unde dicit Apostolus: Quæ immolant Gen-*

tes, Dæmoniis immolant, & non Deo: non, quod offerebatur, culpans, sed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum, quos offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis Christi.

II. Lib. 16. de Civit. Dei c. 22. to. 7. *Ibi quippe primùm apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in Carne: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Non scilicet secundùm ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.*

III. Ad Victorianum Epist. 111. n. 8. to. 2. *Ora ergo Deum pro eis, & roga ut etiam ipsas doceat talia dicere, qualia supra memoratus Sanctus Azarias inter cetera in oratione, & confessione sua fudit ad Deum. Sic enim sunt illæ in terra captivitatis suæ, quomodò erant illi in ea terra, ubi nec sacrificare more suo poterant Domino, sicut nec istæ possunt, vel ferre oblationem ad Altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.*

IV. Lib. 20. de Civit. Dei c. 10. to. 7. *Non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes: sed sicut omnes, Christianos dicimus propter mysticum chrisma; sic omnes, Sacerdotes; quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus: Plebs, inquit, Sancta, Regale Sacerdotium.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino Populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis nullam habet Ministèrii partem. Quod autem ex S. Augustino Populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis nullam habeat Ministerii partem, mox describenda Sancti Doctoris placita palam ostendent.

I. Lib.

I. Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 27. to. 8. *Pepuziani, sive Quintilliani a loco quodam nominati sunt, ... tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ, & Priscillæ in eadem civitate Pepuza Christum specie fœminæ revelatum.* Habes igitur ex S. Augustino, quod hæretici Pepuziani hac laborabant insania, qua Christianas fœminas sacris mysteriis initiabant, ut Sacerdotii munere fungerentur. Quia verò fœminæ ratione sexûs fœminei exclusæ sunt ab omni munere Sacerdotali; quandoquidem Sacerdotes vices gerunt, & personam sustinent Christi Domini, summi, sempiternique Sacerdotis, ut huic incommodo mederentur, narrabant Christum Dominum duabus primariis fœminis Priscillæ, & Quintillæ sub muliebri specie sese conspiciendum exhibuisse. Cùm autem ad hanc insaniam proximè accedant, qui docent populum utriusque sexûs in Sacris Liturgiis aliquam habere ministerii partem, concludendum est cum S. Augustino, Populum utriusque sexûs in Sacris Liturgiis nullam prorsus habere Ministerii partem.

II. Serm. 227. circa medium to. 5. *Tenetis Sacramenta ordine suo. Primò post orationem admonemini sursum habere cor... Cum dicitur: Sursum cor; respondetis: Habemus ad Dominum... Sequitur Episcopus, vel Presbyter qui offert, & dicit, cùm responderit Populus: Habemus ad Dominum sursum cor. Gratias agamus Domino Deo nostro .... Et vos adtestamini: Dignum & justum est, dicentes:... Deinde post Sanctificationem Sacrificii Dei... ubi est peracta Sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepistis, & reddidistis. Post ipsam dicitur: Pax vobiscum; & osculantur se Christiani in osculo sancto... Magna ergo Sacramenta, & valde magna. Vultis nosse quomodo commendentur? Ait Apostolus: Qui manducat Corpus Christi, aut bibit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.*

III. Serm 58. c. 10. n. 12. to. 5. *Oratio quotidie dicenda est vobis, cùm baptizati fueritis. In Ecclesia enim ad Altare Dei quotidie dicitur Dominica oratio: & audiant illam fideles.*

les. Non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis; quia, & siquis vestrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie tenebit.

IV. Serm. 273. c. 6. n. 7. to. 5. *Quando audistis dici apud memoriam Sancti Theogenis a me, vel ab aliquo fratre & collega meo, vel aliquo presbytero: Offero tibi Sancte Theogenis? Aut offero tibi Petre? Aut offero tibi Paule? Numquam audistis. Non fit, non licet.*

V. Lib. de dono persev. c. 13. n. 33. to. 10. *Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini, de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, a Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; &, dignum ac justum est, respondent.*

VI. Ad Vitalem Epist. 217. c. 7. n. 26. to. 2. *Nunquid ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus Altare Populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum claro voce orantem, ut incredulas Gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis: Amen?*

VII. In Ps. 32. Enar. 3. n. 29. to. 4. *Tempus est ut impendamus in eos magnum caritatem, abundantem misericordiam, in deprecando Deum pro illis, ut aliquando det illis sensum sobrium, ut resipiscant.... Pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, pro animalibus, & carnalibus, tamen pro fratribus nostris, eadem Sacramenta celebrantibus, etsi non nobiscum, eadem tamen. Unum Amen respondentibus, etsi non nobiscum, unum tamen.*

VIII. Lib. 20. contra Faustum c. 21. sub initio to. 8. *Quis enim Antistitum, in locis sanctorum corporum assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit.*

IX. Lib. 8. de Civit. Dei c. 27. n. 1. to. 7. *Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super Sanctum Corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? Cum apud eorum memorias*

morias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit? Ex superioribus monumentis Augustinianis eruitur, quod ad Sacerdotes pertinebat, tanquam ad ministros publicos, dum rem divinam peragerent, nomine totius Populi, Deo preces effundere, Populum ad Aram alloqui, admonere, adhortari, sacra libamina Deo offerre, Sacrificium conficere, & Eucharisticum cibum Populo præparare. Partes autem circumstantis Populi erant certæ quædam, ac breves responsiones, ac precationes, quas, utpote absonis, inconditisque Populi non amplius Latini vocibus indecoras, noster nunc temporis Chorus, vices populi gerens, sibi proprias adscifcit. Præterea mos erat Christiani populi osculo sancto mutuam sibi pacem precari, quibus peractis, Convivio Eucharistico reficiebatur. Ex hac autem contestatâ a S. Augustino Liturgiæ Africanæ consuetudine conficitur, quod ex S. Doctore populus utriusque sexûs in Sacris Liturgiis nulla omninò habeat sacri ministerii partem.

X. Lib. 22. de Civitate Dei c. 10. to. 7. *Nos Martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum, & nostro; ad quod Sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur; Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoria sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò Sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.*

XI. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 32. num. 69. to. 1. *Quam enim multos Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & cujuscemodi Ministros Divinorum Sacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare. Non enim*

enim sanatis magis, quàm sanandis hominibus præsint.

XII. Serm. 273. c. 6. n. 7. to. 5. *Nos Martyres nostros, quibus illi nulla ex parte sunt conferendi, pro diis non habemus, non tanquam Deos colimus, non eis templa, non eis altaria, non Sacrificia exhibemus. Non eis Sacerdotes offerunt: Absit. Deo præstantur, immo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur. Etiam apud Memorias Sanctorum Martyrum cùm offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres Sancti. Advertite: In recitatione ad Altare Christi loca meliore recitantur, non tamen pro Christo adorantur.*

XIII. Serm. 137. c. 7. & 8. n. 8. to. 5. *Quomodo ergo pervertunt isti* Sacerdotes mali *hanc sententiam, quando illis dicitur malè viventibus: Merito dictum est a Domino: Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite? Rectè dictum est, inquiunt: dictum est enim vobis* Laicis, *ut quæ dicimus, faciatis; quæ autem nos facimus, vos non faciatis. Nos enim offerimus Sacrificium, vobis non licet.. Quid est ergo fratres? Si diceret de Sacrificio offerendo, diceret: Dicunt enim & non faciunt? Faciunt enim Sacrificium, Deo offerunt. Quid est quod dicunt, & non faciunt? Audi quid sequatur: Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea super cervices hominum, quæ ipsi uno digito nolunt tangere.* Ex recitatis S. Doctoris sententiis quædam in rem nostram excerpta colligimus. Sunt autem hujusmodi. Solus Sacerdos soli Deo sacrificat, non autem Martyribus, quamvis supra Martyrum monumenta sacrificet, quorum in sacrificio mentionem facit. Soli Episcopi, Presbyteri, Diaconi, similesque de Clericorum cœtu, divinorum sacramentorum ministri sunt. Soli Sacerdotes, qui sacris solemnibus publicè præsunt, soli Deo offerunt, soli Deo sacrificia exhibent, non Martyribus, quorum nomina ad Christi Altare, supra Martyrum monumenta excitatum, recitant. Sacerdotes sunt hi, qui Deo sacrificium offerunt, qui rem divinam faciunt, quod fieri non licet populo ad sacerdotale Collegium minimè pertinenti. Ex his autem sponte sua proficiscitur, quod ex S. Augustino Populus utriusque

utriusque sexus in Sacris Liturgiis nullam omnino habet Sacri Ministerii partem.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino Christiani peracti jam a Christo Domino Sacrificii cruenti memoriam celebrant sacrosancta oblatione, non quidem laici per proprium Ministerium, sed per Ministerium Sacerdotum, qui nomine totius Ecclesiæ, quam repræsentant, Deo Sacrificium offerunt. Si enim Sacrificii offerendi Diaconi potestatem non habent, multo magis hac potestate laici destituuntur. Quod autem Diaconi hujusmodi potestate careant, ex Concilio Nicæno habetur, cui Cæcilianus Episcopus Carthaginensis interfuit, & hujus concilii Canones Africani Patres allatos ab eodem Cæciliano fatentur, quos usque ad ea tempora in Ecclesiis Africanis observatos affirmant, atque in posterum etiam observandos decernunt. Concilium autem Nicænum can. 18. hæc habet. *Pervenit ad sanctum & magnum Concilium, quod in quibusdam locis, aut civitatibus, Presbyteris gratiam Sacræ Communionis Diaconi porrigant: quod neque canon, neque consuetudo tradidit, ut qui potestatem offerendi non habent, his qui offerunt Corpus Christi porrigant. Sed etiam hoc quoque innotuit, quod Diaconi ante Episcopos contingant Eucharistiam. Omnia igitur hæc amputentur.*

Ad secundum dicendum similiter, quod ex S. Augustino toto nunc Orbe terrarum sub specie panis, & vini sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini offertur Deo a Christianis, non per proprium Populi ministerium, sed per ministerium singulare sacerdotum, qui summum sempiternumque Sacerdotem Christum Dominum repræsentant: & tanquam ministri publici, nomine Christiani Populi, Deo sacrificant, quorum munus est, oblatione divinæ Victimæ, placabilem Deum delinquenti Populo conciliare. Hinc S. Doctor Serm.273. cap.6.n.7.to.5. differens de cultu, qui debetur Deo, qui multò præstantior est cultu, qui debetur Martyribus, non popularem, sed Sacerdotalem oblationem commemorat per hæc verba: *Non eis Sacerdotes offerunt*, idest Martyribus: *Absit. Deo præstantur, immo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur.*

Ad

Ad tertium dicendum pariter, quod ex S. Augustino Christianæ fœminæ, apud Barbaros captivæ, non poterant ferre oblationem ad Altare Dei, quam per Sacerdotis ministerium offerrent; ut statim his verbis adjungit. *Vel invenire, ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.* Ceterum non est ibi sermo de oblatione Corporis, & Sanguinis Domini; sed de panis, vini, farinæ, fructuum, pecuniæ, vestium, vasorum, aliorumque munerum oblatione, quæ ad usum sacrificii, altaris, templi, cleri, pauperum, offerebantur per ea tempora inter Sacra solemnia a populo utriusque sexûs. De hoc nunc consule Cardinalem Bona P. 2. Rerum Liturgicarum c. 8. & 9.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino omnes Christiani dicuntur Sacerdotes, quos alloquens Apostolus Petrus. *Plebs*, inquit, *Sancta*, *Regale Sacerdotium*: non quod ministri sint Sacrificii faciendi: hac enim ratione, ut ibi asserit S. Doctor, soli Episcopi, atque Presbyteri proprie vocantur in Ecclesia Sacerdotes; verum quia membra sunt unius Sacerdotis Christi Domini, ad cujus mysticum corpus pertinent: & hac de caussa Christiani omnes in minus propria significatione ex S. Doctore Sacerdotes dicuntur. Confirmat enim S Doctor, quæ a malis Sacerdotibus adversus laicos prædicabantur, Serm. 137. c. 7. n. 8. to. 5. *Dictum est vobis* Laicis, *ut quæ dicimus faciatis; quæ autem nos facimus vos non faciatis; Nos enim* Sacerdotes *offerimus sacrificium, vobis* Laicis *non licet.* Hujus autem sententiæ non veritatem, sed malum usum improbat Sanctus Doctor.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Pepuziani, sive Quintilliani, a loco quodam nominati sunt, tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ, & Priscillæ in eadem Civitate Pepuza Christum specie feminæ revelatum.* (b) Sed *nos offerimus Sacrificium*, Laicis *non licet*; Sacerdotes *enim faciunt sacrificium*, & *Deo offerunt. Quid est quod* mali Sacerdotes *dicunt*, *& non faciunt?*

Alli-

Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea super cervices hominum, quæ ipsi uno digito nolunt tangere. (c) Nihilo tamen minus, *quàm multos Episcopos optimos, Sanctissimosque cognovi, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & cujuscemodi ministros divinorum Sacramentorum:* (d) Quos inter *nos erigimus Altaria, in quibus sacrificemus, non martyribus, sed uni Deo: Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* (e) Nos igitur *martyres nostros pro diis non habemus, non tamquam Deos colimus: Non eis templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus: Non eis Sacerdotes offerunt: Absit. Deo præstantur. Etiam apud memorias Sanctorum Martyrum cum offerimus nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres Sancti. In recitatione ad Altare Christi loco meliore recitantur, non tamen pro Christo adorantur.* (f) *Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit?* (g) *Quando audistis dici apud Memoriam Sancti Theogenis, a me, vel ab aliquo fratre, & collega meo, vel aliquo Presbytero: Offero tibi Sancte Theogenis? Aut offero tibi Petre? aut offero tibi Paule? Nunquam audistis. Non fit, non licet.* (h) *Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit.* (i) Sed jam accipite *sacramenta ordine suo. Primò post orationem admonemini sursum habere cor. Cùm dicitur: Sursum cor: Respondetis: Habemus ad Dominum. Sequitur Episcopus, vel Presbyter qui offert, & dicit, cum responderit populus: Habemus ad Dominum sursum cor: Gratias agamus Domino Deo*

ne-

nostro: Et vos adtestamini: Dignum & justum est, dicentes. Deinde post sanctificationem Sacrificii Dei, ubi est peracta sanctificatio, dicimus orationem Dominicam: Post ipsam dicitur: Pax vobiscum; & osculantur se Christiani osculo sancto. Magna ergo Sacramenta, & valde magna. (k) *Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini. De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a Sacerdote, post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum ac justum est, respondent.* (l) Similiter *in Ecclesia ad Altare Dei quotidie dicitur Dominica oratio, & audiunt illam fideles. Non ergò timemus ne minus diligenter eam teneatis; quia, & si quis vestrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie, tenebit.* (m) *Ubi autem audieris Sacerdotem Dei ad ejus Altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas Gentes ad fidem suam venire compellat, respondebis: Amen.* (n) *Impendamus* etiam *caritatem pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, pro animalibus & carnalibus, tamen pro fratribus nostris, eadem sacramenta celebrantibus, etsi non nobiscum, eadem tamen. Unum Amen respondentibus, etsi non nobiscum, unum tamen.* Hactenus ex S. Augustino.

(a) Lib. de hæresibus ad Quodvultdeum n. 27. to. 8. (b) Serm. 137. c. 7. & 8. n. 8. to. 5. (c) Lib. 1. de moribus Eccl. Cath. c. 32. num. 69. to. 1. (d) Lib. 22. de Civit. Dei c. 10. to. 7. (e) Serm. 273. c. 6. num. 7. to. 5. (f) Lib. 8. de Civit. Dei c. 27. n. 1. to. 7. (g) Serm. 273. c. 6. n. 7. to. 5. (h) Lib. 20. contra Faustum c. 21. to. 8. (i) Serm. 227. circa medium, to. 5. (k) Lib. de dono persev. c. 13. n. 33. to. 10. (l) Serm. 58. c. 10. n. 12. to. 5. (m) Epist. 217. ad Vitalem c. 7. n. 26. to. 2. (n) In Psal. 32. n. 29. to. 4.

ARTI-

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Augustini placitis expediat, Populum utriusque sexûs S. Scripturam indiscriminatim legere?

Videtur, quod ex Sancti Augustini placitis expediat, Populum utriusque sexûs S. Scripturam indiscriminatim legere. Quæ enim S. D. decreta in medium hic proferuntur, propositam definitionem sic illustrare videntur.

I. SErm. 46. c. 9. n. 20. to. 5. *Ad nos quidem pertinet non tacere: Ad vos autem, etiamsi taceamus, de Scripturis Sanctis verba Pastoris audire.*

II. Lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 92. n. 210. to. 9. *Non puto vos usque adeo surdos esse adversùs ipsa sanctorum Codicum eloquia, ut non potius timeatis, ne noverint ea? Sed velitis, nolitis, intrant Ecclesiam; & si nos tacemus, Lectoribus admovent aurem: atque ut de ceteris taceam, istum ipsum plerumque Psalmum, quem tu commemorasti, intentissimè accipiunt.*

III. In Psal. 8. n. 8. to. 4. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, ut a fide Scripturarum inciperent, qui cupiunt ad tuæ magnificentiæ notitiam pervenire, quæ super Scripturas elevata est, quia transit & superat omnium verborum, linguarumque præconia. Inclinavit ergo Scripturas Deus usque ad infantium, & lactentium capacitatem, sicut in alio Psalmo canitur: Et inclinavit Cælum, & descendit: & hoc fecit propter inimicos, qui per superbiam loquacitatis inimici Crucis Christi, etiam cùm aliqua vera dicunt, parvulis tamen, & lactentibus prodesse non possint... Hinc ergo destruitur temerarius, & cæcus pollicitator veritatis, qui est inimicus, & defensor; cùm videntur cæli opera digitorum Dei, idest, intelliguntur Scripturæ productæ usque ad infantium tarditatem, & eos per humilitatem historicæ fidei, quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelli-*

gentiæ rerum æternarum benè nutritos, & roboratos erigunt in ea, quæ confirmant.

IV. Ad Volusianum Epistola 137. c. 5. n. 18. to. 2. *Modus ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis! Ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem. Sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifestâ pascat, sed etiam secretâ exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens; sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter & prava corriguntur & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Augustini placitis non expedire, Populum utriusque sexûs S. Scripturam indiscriminatim legere. Quod enim ex S. Augustino consentaneum minimè sit Populo utriusque sexûs indiscriminatim Sacram Scripturam legere, ejusdem Sancti Doctoris decreta, fidelibus oculis mox subjicienda, satis superque demonstrabunt.

I. Lib. 2. de Doctrina Christiana c. 4. n. 16. p. 1. to. 3 *Latinæ linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa scilicet, & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas.*

II. Ibidem c. 18 n. 42. *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

III. Ibi-

III. Ibidem c. 29. n. 45. *Est etiam narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcunque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumve corporum scripta sunt. De quo genere superius egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda docuimus.*

IV. Ibidem c. 31. n. 48. *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda, & dissolvenda, plurimum valet: tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.*

V. Ibidem c. 16. n. 25. & 26. *Numerorum etiam imperitia, multa facit non intelligi translatè, ac mysticè posita in Scripturis... Multis... numerorum formis quædam similitudinum in sanctis libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt. Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia.*

VI. Ibidem c. 29. n. 46. *Siderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca Scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notus est lunæ cursus, qui etiam ad passionem Domini anniversariè celebrandam solemniter adhibetur.*

VII. Ibidem c. 41. n. 62. & 63. *Hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cùm ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud Apostolicum cogitare non cesset: Scientia inflat, caritas ædificat.... Hac instructione præditum, cùm signa incognita lectorem non impedierint mitem & humilem corde, subjugatum leviter Christo, & oneratum sarcina levi, fundatum, & radicatum, & ædificatum in caritate, quem scientia inflare non possit, accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda, & discutienda.* Itaque ex S. Augustino, magnifico, atque copioso bonarum artium, præstantissimarumque facultatum, ac divinarum virtutum apparatu instructum, & cumulatum esse, necesse est hominem, qui ad sacros Codices perscrutandos velit accedere. Et primò quidem divinarum lit-

terarum Disciplina linguarum peritiam, ex S. Doctore, præcipuè verò Latinæ, Græcæ, Hæbraicæ linguæ notionem suo sibi jure vindicat. Item temporum, rerum gestarum, atque naturæ rerum historiam desiderat. Præterea dialecticam, arithmeticam, astronomiam, musicam postulat. Postremo honestis, supernisque virtutibus, Mansuetudine, Humilitate, Caritate præditum ac locupletem lectorem, teste Augustino, Sacra Scriptura requirit. Quibus disciplinis, atque virtutibus divinorum Codicum vacuus lector, ex Augustini sententia, in absurdas ac perniciosas opiniones incidat, necesse est. Cùm autem populus utriusque sexûs tam uberi humanarum scientiarum copia, atque adeo splendida divinarum virtutum supellectili sit destitutus; (non enim multitudinis, sed paucorum est virtus, atque sapientia) illud ex S. Doctore consequitur, quod populo utriusque sexûs nequaquam expedit indiscriminatim S. Scripturam legere.

VIII. Lib. 2. de Doctrina Christiana c. 6. n. 7. p. 1. to. 3. *Multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui* Scripturam divinam *temerè legunt, aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur, non inveniunt: ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt.*

IX. Lib. 83. Quæstionum Quæstione 64. n. 1 to. 6. *Evangelica sacramenta in Domini Nostri Jesu Christi dictis, factisque signata non omnibus patent: & ea nonnulli minus diligenter minusque sobriè interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis, errorem.*

X. In Psal. 146. n. 15. to. 4. *Nisi haberemus occasionem obscuritatis Scripturarum, ista vobis non diceremus, quibus gaudetis. Hæc ergo fortasse pluvia est, ad quam gaudetis. Exprimi vobis per linguam nostram non posset, nisi Deus nubibus figurarum cælum Scripturarum cooperiret. Ad hoc ergo ille cooperit cælum nubibus, ut paret terræ pluviam. Ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, ut haberent postea servi Dei, quod interpretando influerent super aures, & corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritalis.*

XI. Lib.

XI. Lib. de Utilitate credendi ad Honoratum c. 7. n. 17. to. 8. *Nullâ imbutus poeticâ disciplinâ Terentianum Mauram sine Magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poeta possit intelligi, cujus carmina & theatri plausus videntur captare. Tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen, divinarumque rerum pleni, prope totius Generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam; nec, si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam, & putrefactum tabe hujus Mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quàm eos, qui fortasse a talibus intelligi nequeunt. Quæreres aliquem pium simul & doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cujus & præceptis melior, & doctrinâ peritior fieret.*

XII. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 1. n. 1. to. 1. *Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cùm a doctioribus exponuntur, eò laudanda videantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur.*

XIII. Ad Honoratum Epistola 140. de Gratia novi testamenti c. 14 n. 36. to. 2. *Si ventris nomen magis interioribus competit, ad eos potius, qui perfectiores sunt, Scripturarum intellectum pertinere, monstratum est, cùm cor ejus, idest, Scripturæ ejus, quæ continent consilium ejus, in medio eorum, hoc est, in cogitatione eorum, tanquam cera dissolvitur, hoc est, fervore spiritûs aperitur, disputatur, exponitur.*

XIV. In Psal. 103. Serm 1. n. 11. to. 4. *Quicunque ergo infirmi non possunt ascendere in hoc cælum, idest, ad intellectum Scripturarum, per nubes ascendant. Fortè enim, & modò fit vobis, si aliquid agimus, si labor, sudorque noster non est infructuosus, ascenditis in cælum Scripturarum divinarum, hoc est, in intellectum earum per prædicationem nostram.*

XV. Lib. de Utilitate credendi ad Honoratum c. 17. n. 35. to. 8.

to 8. *Si unaquæque disciplina, quamquam vilis, & facilis, ut percipi possit, Doctorem, aut Magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm divinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?*

XVI. Ibidem c. 16. n. 13. *An istæ Scripturæ legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgò expositas, impetum faciunt frustra, & inaniter?* Subductis igitur calculis, superioribusque sententiis in unam summam contractis, ex S. Augustino habemus, divinos libros densissima esse obductos caligine, quorum multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decepti, qui sacros Codices temerè legunt, falsitati & errori sub specie veri assentiuntur. Non-omnibus patere divinarum Mysteria litterarum, quæ nonnulli, minus diligenter, minusque sobriè interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis, errorem; non enim divinæ legis libri planissimi sunt, in quos multitudo rudis & imperita, quasi vulgò expositos, temerè irruat. Ad sacros igitur Antistites pertinet interpretari populo divinos libros, obscuritate sua vulgo impervios. Quivis enim mediocriter sanus facile intelligit divinorum voluminum explicationem ab iis repetendam esse, qui eorum interpretes se esse profitentur. Ad delectos enim sapientes, qui ceteris sunt perfectiores, notio & scientia pertinet Scripturarum. Hujusmodi sunt sacri Antistites, quorum operâ sternitur populo via, qua ad cælestem sublimium Oraculorum regionem possit ascendere. Si enim profani Poëtæ magistros, interpretes, ac doctores desiderant, quantò magis interpretes sacros divini Vates requirunt? Quare plenum est temeritatis, & arrogantiæ, Arcanos Mysteriorum sacrorum libros non ab interpretibus suis, sed proprio Marte, ut dicitur, velle cognoscere. Ex hactenus igitur ab Augustino disputatis apertissimâ consecutione deducitur, quod ex S. Doctore populo utriusque sexûs minimè expedit indiscriminatim Sacram Scripturam legere.

XVII. Lib. 7. de Genesi ad Litteram c. 9. n 13. to. 3. *Neque enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud*

aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.

XVIII. Tract. 18. in Jo. n. 1. to. 3. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligetur, etiam temere, & audacter asseritur.*

XIX. Lib. de Fide & Operibus c. 4. n. 5. to. 6. *Quidam intuentes divinarum testimonia litterarum, quibus unus Deus colendus insinuatur, eundem Patrem, qui est Filius, Sanctumque Spiritum putaverunt. Alii rursus, veluti morbo contrario laborantes, cùm attenderent ea, quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere, quomodo sit unus Deus, cùm & Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, nec Spiritus Sanctus aut Filius, aut Pater, diversitates etiam substantiarum asserendas putaverunt. Quidam intuentes in Scripturis Sanctæ Virginitatis laudem, connubia damnaverunt. Quidam rursus ea testimonia consectantes, quibus casta conjugia prædicantur, Virginitatem nuptiis æquaverunt. Quidam cùm legerent, Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum, & nonnulla similia, creaturam Dei, & quas voluerunt escas, immundas esse senserunt.*

XX. Ad Maximian Epist. 264. n. 3. to. 2. *Sine dubio enim hoc ipsum quod perversè & impiè sentiunt, aliquibus testimoniis divinarum Scripturarum conantur adstruere. In quibus eis ostendendum est, quàm non rectè intelligant litteras sacras, conscriptas ad fidelium salutem, tanquam si quisquam se medicinalibus ferramentis graviter vexet, quæ utique non ad vulnerandum, sed ad sanandum sunt instituta.*

XXI. Ad Consentium Epist. 120. c. 3. n. 13. to. 2. *Ipsæ Scripturæ sanctæ, quæ, magnarum rerum ante intelligentiam, suadent Fidem, nisi eas rectè intelligas, utiles tibi esse non possunt. Omnes enim hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potius sectentur errores: ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt.*

XXII. In

XXII. In Psal. 10. n. 2. to. 4. *Ecce peccatores intenderunt arcum..... Credo Scripturas, quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde sententias emittunt. Paraverunt sagittas suas in pharetra: eadem verba, scilicet, quæ Scripturarum auctoritate jaculaturi sunt, in cordis occulto paraverunt. Ut sagittent in obscura luna rectos corde: ut, cum senserint, Ecclesiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obscurato, non se posse convinci, corrumpant bonos mores colloquiis malis.* Itaque ex S. Augustino ex prava divinorum Codicum intelligentia omnes hæreses emanarunt: ex Sacris Scripturis pravè intellectis Sabelliani, Ariani, Manichæi, Joviniani, ceterique hæretici suam originem repetunt, quibus perscrutandis operam suam malè collocantes, opiniones falsas in vulgus sparserunt; atque ex divina Scriptura secundùm corticem degustata, veluti ex arcu, venenatas falsorum dogmatum sagittas emiserunt, quibus illiteratum, ac rude vulgus transfoderent. Hinc factum est, ut divinæ Scripturæ, veluti medica ferramenta ab imperitis manibus pertractata, in perniciem imperitorum, perperam pertractantium, fuerant conversæ. Cùm igitur ex S. Augustino sacrarum litterarum studium res sit plena aleæ, atque discriminis, imperitum ac rude vulgus arcendum, ac removendum omnino est a perlustrandis divinis libris. Ac proinde ex S Augustino Populo utriusque sexus minimè expedit Sacram Scripturam indiscriminatim legere.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino ad Pastores pertinet non tacere, atque ex Scripturis sanctis edicere malis ovibus mortem, quam illis Deus comminatur. Quod si Pastores per summam ignaviam tacuerint, ad oves pertinet verba summi Pastoris, de Scripturis Sanctis mortem comminantis, audire. Neque ad hoc est necesse, ut fideles rudes vacent legendis divinis libris, cùm optimè noverint pœnas a Deo statutas adversus impios. Res enim est satis nota ac pervulgata, quin sit necesse consulere, atque evolvere divinos Codices.

Ad secundum dicendum, quod ex S. Augustino mos erat antiquitùs Sacram Scripturam legere coram Populo in Ecclesia congregato, & hoc munus ad Lectores Ecclesiasticos pertinebat.

Hæc

Hæc autem consuetudo etiam nunc temporis in Ecclesiis Orientalibus custoditur. At nullum inerat erroris periculum; siquidem peractâ per Lectores lectione, sacra rostra ascendebant Antistites, ex quibus auditam lectionem populo explanabant, in qua si quid erat involutum, ac complicatum, per doctos Antistites evolvebatur, atque explicabatur. Hinc factum est, ut a pertractandis apud populum divinis libris, Tractatores Episcopi dicerentur. Hinc S. Augustinus in Psal. 102. n. 16. to. 4. *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per Lectorem, vocat per TRACTATOREM.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino inclinavit Scripturas Deus usque ad infantium & lactentium capacitatem, usque ad infantium tarditatem, non quidem quoad reconditos atque abstrusos Scripturarum sensus, sed quoad obvium & facile dicendi genus, & quoad historicam scribendi rationem, ingenuam, atque sinceram; quibus veluti cupediis infantes suos sibi Deus demulcet; sed eos non perducit ad sublimem rerum æternarum intelligentiam, quæ sub facili verborum cortice tegitur, nisi postquam fuerint benè nutriti ac roborati, ut S. Doctor advertit, videlicet, nisi postquam fuerint in doctrina ac pietate optimè exculti, atque instructi.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino procul dubio modus ille dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, est sanè omnibus accessibilis; sed propter arcana, atque abstrusa mysteria, quæ contegit, paucissimis, pietate videlicet ac doctrina peritissimis, est penetrabilis. Hac de caussa ex S. D. Divinæ Scripturæ Ducem, Interptetem, atque Magistrum desiderant, ne multitudo rudis & imperita, ex absona Scripturarum intelligentia, perniciosis opinionibus imbuatur; ut admonet S. Doctor Lib. 1. de Moribus Eccl. Cath. n. 1. to. 1. his verbis: *Quis mediocriter sanus non facilè intelligat Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur; fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cum a Doctioribus exponuntur, eò laudanda videantur, & eò acci-*

 piantur

piantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur. Et Lib. de Utilitate credendi ad Honoratum c. 17. n. 35. to. 8. *Si unaquæque disciplina quamvis vilis & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm Divinorum Sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa scilicet, & Græca.* (b) *Quidquid* etiam *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos.* (c) *Est etiam narratio, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcumque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumve corporum scripta sunt, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda docuimus.* (d) Item *disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris Sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimùm valet.* (e) *Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi translatè ac mysticè posita in Scripturis. Multis enim numerorum formis quædam similitudinum in sanctis libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt. Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia.* (f) *Siderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca Scriptura commemorat.* (g) *Hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud apostolicum cogitare non cesset: Scientia inflat, caritas ædificat. Hac instructione præditum cùm signa incognita lectorem non impedierint, mitem & humilem corde, subjugatum leniter Christo, & oneratum sarcina levi, fundatum & radicatum, & ædificatum in caritate, quem scientia inflare non possit,*

possit, accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda, & discutienda. (h) Multis enim, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui Scripturam divinam temerè legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inveniunt; ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. (i) Evangelica etiam sacramenta in Domini Nostri Jesu Christi dictis, factisque signata non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter, minusque sobriè interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis, errorem. (k) Sed nisi haberemus occasionem obscuritatis Scripturarum, ista vobis non diceremus, quibus gaudetis. Hæc ergo fortasse pluvia est, ad quam gaudetis. Exprimi vobis per linguam nostram non posset, nisi Deus, nubibus figurarum, cælum Scripturarum cooperiret. Ad hoc ergò ille cooperit cælum nubibus, ut paret terræ pluviam. Ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, ut haberent postea servi Dei, quid interpretando influerent super aures & corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritalis. (l) Tu ergò in eos libros, qui, quoquomodo se habeant, sancti tamen, divinarumque rerum pleni, prope totius Generis humani confessione diffamantur, sine Duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam. Nec si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam, & putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quàm eos, qui fortasse a talibus intelligi nequeunt. Quæreres aliquem pium simul, & doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cujus & præceptis melior, & doctrinâ peritior fieres. (m) Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur; fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cum a doctioribus exponuntur, eò laudanda videantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur? (n) Nam si ventris nomen magis interioribus competit, ad eos potius, qui perfectiores sunt, Scripturarum intel-

lectum pertinere monstratum est, cum cor ejus, idest, Scripturæ ejus, quæ continent consilium ejus, in medio eorum, hoc est, in cogitatione eorum, tanquam cera dissolvitur, hoc est, fervore spiritûs aperitur, disputatur, exponitur. (o) *Quicumque ergò infirmi non possunt ascendere in hoc cælum, idest, ad intellectum Scripturarum, per nubes ascendant. Fortè enim & modo fit vobis, si aliquid agimus, si labor sudorque noster non est infructuosus, adscenditis in cælum Scripturarum divinarum, hoc est, in intellectum earum per prædicationem nostram.* (p) Nam *si unaquæque disciplina, quanquam vilis & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm divinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?* (q) *An istæ Scripturæ legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgo expositas impetum faciant* hæretici? (r) *Neque enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* (ſ) *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* (t) S*ic quidam intuentes divinarum testimonia litterarum, quibus unus Deus colendus insinuatur, eundem Patrem, qui est Filius, Sanctumque Spiritum putaverunt. Alii rursus morbo contrario laborantes, cùm attenderent ea, quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere quomodo sit unus Deus, cùm & Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, nec Spiritus Sanctus aut Filius, aut Pater, diversitates etiam substantiarum asserendas putaverunt. Quidam intuentes in Scripturis sanctæ virginitatis laudem, conjugia damnaverunt. Quidam rursus ea testimonia consectantes, quibus casta connubia prædicantur, virginitatem nuptiis æquaverunt. Quidam cum legerent: Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum, & nonnulla similia, creaturam Dei, & quas voluerunt escas, immundas esse*

sen-

senserunt. (u) *Hoc* enim *ipsum quod perversè & impiè sentiunt, aliquibus testimoniis divinarum Scripturarum conantur astruere. In quibus eis ostendendum est, quàm non rectè intelligant litteras sacras conscriptas ad fidelium salutem, tanquam si quisquam se medicinalibus serramentis graviter vexet, quæ utique non ad vulnerandum, sed ad sanandum sunt instituta*. (x) *Omnes enim hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores; ac per hoc non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt*. (y) Inde *peccatores intenderunt arcum, Scripturas* videlicet, *quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde sententias emittunt. Paraverunt sagittas suas in pharetra, eadem verba, scilicet, quæ Scripturarum auctoritate jaculaturi sunt, in cordis occulto paraverunt. Ut sagittent in obscura lunâ rectos corde: Ut cum senserint, Ecclesiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obscurato, non se posse convinci, corrumpant bonos mores colloquiis pravis*. Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Lib. de Doctrina Christiana c. 11. n. 16. p. 1. to. 3. (*b*) Ibidem c. 18. n. 42. (*c*) Ibidem c. 29. n. 45. (*d*) Ibidem c. 31. n. 48. (*e*) Ibidem c. 16. num. 25. & 26. (*f*) Ibidem c. 29. n. 46. (*g*) Ibidem c. 41. n. 62. & 63. (*h*) Ibidem c. 6. n. 7. (*i*) Lib 83. Quæstionum quæst. 64. n. 1. to. 6. (*k*) In Psal. 146. n. 15. to. 4. (*l*) Lib. de Utilitate credendi c. 7. n. 17. to. 8. (*m*) Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 1. n. 1. to. 1. (*n*) Epistola 140. ad Honoratum c. 14. num. 36. to. 2. (*o*) In Psal. 103. Serm. 1. n. 11. to. 4. (*p*) Lib. de Utilitate credendi c. 17. n. 35. to. 8. (*q*) Ibidem c. 6. n. 13. (*r*) Lib. 7. de Gen. ad Lit. c. 9. n. 13. to. 3. (*s*) Tract. 18. in Jo. n. 1. to. 3. (*t*) Lib. de Fide, & Operibus c. 4. n. 5. to. 6. (*u*) Epist. 164. ad Maximam n. 3. to. 2. (*x*) Epist. 120. ad Consentium c. 3. n. 13. to. 2. (*y*) In Psal. 110. n. 2. to. 4.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Augustino improbandæ sint preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis?

Videtur, quod ex S. Augustino improbandæ sint preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis. In hac enim sententia, ex recitandis mox testimoniis, S. Doctor esse videtur.

I. IN Psal. 4. n. 8. to. 4. *Unusquisque id bonum vult a Deo impetrare, quod diligit: nec facilè inveniuntur, qui diligant bona interiora, idest, ad interiorem hominem pertinentia, quæ sola diligenda sunt, cæteris autem ad necessitatem utendum, non ad gaudium perfruendum.*

II. In Psal. 9. n. 11. to. 4. *Desinant sperare, & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen ejus, qui dixit: Ego sum, qui sum: & de quo dictum est: Misit me, qui est. Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Qui eum quærunt, jam transeuntia & moritura non quærunt. Nemo enim potest duobus dominis servire.*

III. In Psal. 127. n. 15. to. 4. *Noli quærere illas benedictiones, quæ non sunt ex Sion. Non benedixit Dominus tales, fratres mei? Benedictio ista Domini est: aut si non est a Domino: Quis ducet uxorem, si nolit Dominus? Quis possit esse sanus, si nolit dominus? Aut quis posset esse dives, si nolit Dominus? Dat illa; sed non vides, quia & pecoribus dedit? Non ergo de Sion est ista benedictio. Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt Jerusalem. Nam illa bona non sunt Jerusalem..... Consoletur ergo te Dominus, ut videas bona Jerusalem. Illa enim bona sunt. Quare sunt? Quia æterna sunt..... Ista vero bona sunt, & non sunt. Non enim stant, labuntur, fluunt.*

IV. Serm. 286. c. 6. n. 5. to. 5. *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Quæ bona? Nunquid*

quid temporalia? Dat & ipsa; sed & infidelibus dat. Dat & ipsa; sed & impiis dat, sed & blasphematoribus suis dat. Bona quæramus, quæ non nobis sint cum malis communia.

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino non sunt improbandæ preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis. Quod enim fluxa & caduca bona, ad præsentem vitam transigendam, vel utilia, vel necessaria, & expetantur honestè, & a Deo bonorum omnium largitore honestè quærantur, ea, quæ subjicimus Sancti Doctoris testimonia, satis, superque demonstrabunt.

I. Lib. 1. Quæstionum in Genesim quæst. 76. p. 1. to 3. *Sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cùm ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno Deo.*

II. Lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 16. n. 53. p. 2. to 3. *Regnum ergo & justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus, quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud Regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest, Apponentur vobis hæc, inquit; sed vos regnum Dei, & justitiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud primùm, significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum; hoc tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.*

III. Serm 80. c. 10. n. 7. to. 5. *Duo ergo genera beneficiorum sunt, temporalia, & æterna. Temporalia sunt salus, substantia, honor, amici, domus, filii, uxor, & cætera vitæ hujus, ubi peregrinamur.... Æterna vero beneficia sunt primùm ipsa vita æterna, incorruptio, & immortalitas carnis & animæ, societas Angelorum, civitas cælestis, dignitas indeficiens, Pater, & Patria, ille sine morte, illa sine hoste. Hæc beneficia toto ardore desideremus, omni perseverantia petamus.*

tamus ... Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt. Temporalia verò ista aliquando prosunt, aliquando obsunt ... Ac per hoc, fratres, petamus & ista temporalia moderatè, securi quia si accipimus, Ille dat, qui novit, quid nobis expediat.

IV. Serm. 354. c. 7. n. 7. to. 5. *Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad utilitatem .... Aliquando Deus iratus dat, quod petis; & Deus propitius negat, quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis, securi petite, & incumbite, quantum potestis, orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur: illa ejus non irâ, sed misericordiâ largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut si prosint, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, Medicus novit, non ægrotus.* Docet igitur Augustinus, quod bona fluxa & caduca sperantur, atque expetuntur licitè, sed a Deo tantùm, non tanquam summum & extremum bonorum, ad quod cetera omnia referantur; sed tanquam bonum mediocre, & in quadam medietate positum, ad agendam mortalem vitam necessarium, quà sublata, nulla superest cuiquam ratio, vitæ præsentis usurâ, comparandi sibi vitam immortalem; ac proindè bona prætereuntia & mortalia, quæ S. Doctor commemorat, videlicet, salus, opes, honor, amici, domus, filii, uxor, & cetera hujusmodi, sobriè, moderatè, & cautè sunt a Deo flagitanda, scilicet, æquo ac parato animo ea consequendi, si prosint; atque eadem rejiciendi, si obsint bonorum immortalium consecutioni, non autem animo certo atque obfirmato, quacumque vià, bona hujusmodi adipiscendi. Ex his autem conficitur, quod ex S. Augustino non sunt improbandæ preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis.

V. In Psal. 62. n. 7. to. 4. *Si opus est carni pane, si opus est aquâ, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est jumento carni huic, a Deo petere debet; non a Dæmoniis, & Idolis, & a nescio quibus potestatibus hujus sæculi.*

VI. In

VI. In Psal. 62. n. 14. to. 4. *Dona ergò ista, quæ nascuntur vel de pluvia, vel de Sole, a Domino quidem nostro petere debemus, cùm sint necessaria; sed non ista sola, quia ista dantur & bonis, & malis.*

VII. In Psal. 66. n. 2. to. 4. *Quisquis ista terrena fortè, vel propter supplementa necessitatis, vel propter aliquam infirmitatem desiderat, non nisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, & Creator, & Recreator universorum.*

VIII. Serm. 51. c. 3. n. 3. to. 5. *A tali Patre quid petituri sumus? Nunquid non ab illo, & hodie, & heri, & nudius tertius pluviam petimus? Nihil magnum est, quod a tali Patre petivimus. Et tamen videtis cum quanto gemitu, cum quanto desiderio pluviam petamus.*

IX. Serm. 145. n. 6. to. 5. *Et vobis dicimus, & nobis dicimus; & nobis, & vobis dicimus quando petimus in nomine Christi temporalia ista. Certè enim petitis. Nam quis non petat? Alius sanitatem petit, si ægrotat; alius liberationem petit, si in carcere constitutus est; alius portum rogat, si in navi turbatur; alius victoriam rogat, si cum hoste confligit. Et in nomine Christi totum rogat, & nihil est, quod rogat.* Tenemus igitur ex S. Augustino, quod mortalia & labentia bona, quæ ad corpus pertinent, cujusmodi sunt cibus, & potus, vestis, pecunia, jumenta, segetes, fructus, pluvia, serenitas, valetudo, libertas, portus, patria, victoria, hisque similia, si comparentur cum bonis sempiternis atque immortalibus, quæ ad animum pertinent, nulla profectò sunt, & nullo habenda sunt pretio. Quia verò ex S Doctore bona hujusmodi ad traducendam mortalem vitam sunt necessaria, quamvis illicitè & inhonestè a falsis numinibus requirantur, honestè tamen & licitè ab uno veroque Deo, bonorum omnium largitore, expetuntur. At verò non sola hæc bona infima, ex S. Doctore, sunt a Deo expetenda, perindè ac si forent suprema bona, & finis ultimus bonorum omnium, ad quem cetera omnia sint dirigenda. Ex his autem fit exploratum, quod ex S. Augustino non sunt improbandæ preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis.

X. Lib. 9. Confessionum c. 4. n. 12. to. 1. *Dolore dentium tunc excruciabas me, & cùm in tantum ingravesceret, ut non valerem loqui, adscendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ: & scripsi hoc in cera, & dedi, ut eis legeretur. Mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille.*

XI. In Psal. 137. n. 7. to. 4. *Veneras ad Ecclesiam nescio quid hodie petiturus. Quid putamus veneras petiturus? Veneras cum desiderio tuo nescio quo. Utinam innocenti, etsi carnali.*

XII. In Psal. 35. n. 7. to. 4. *Omnia ista bona sunt, & Dei munera sunt. Ne putetis, fratres, quòd aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergo non expectant ista, nisi a Domino, multum interest inter hos & eos, qui illa quærunt aut a Dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobus modis miseri sunt, quia & terrena sola bona desiderant, & non ab eo petunt, qui dat omnia bona. Qui verò ista bona desiderant, & in his bonis felices esse volunt, & ista sola petunt a Deo, hoc quidem meliores sunt, quia a Deo petunt; sed adhuc periclitantur.*

XIII. In Psal. 51. n. 16. to. 4. *Errant homines aliquando Deum quidem colunt . . . . , sed quamvis de Deo præsumant, ad temporalia tamen; ut dicant sibi: Colo Deum meum, qui me facturus est divitem in terra, qui mihi filios daturus est, qui mihi uxorem daturus est. Talia quidem non dat nisi Deus, sed non vult se propter talia diligi Deus. Ideò enim sæpe ista dat & malis, ut aliud ab illo discant quærere boni.*

XIV. In Psal. 53. n. 5. to. 4. *In his ergo temporalibus, fratres, admonemus vos, & exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis, nolite medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere.* Quæ cum ita sint, ex S. Augustino bona terrena Dei munera sunt. Preces pro impetrandis a Deo bonis, quæ ad corporis incolumitatem pertinent, innocentes sunt, atque

atque licitæ, quoties a Deo, non a Dæmonibus, nec malis artibus conquiruntur, quoties non expetuntur tanquam solum & summum bonum, in quo adipiscendo tota felicitas hominis constituatur, & ad quod consequendum omnia cetera referantur, & quoties absit confirmata voluntas sibi ea comparandi etiam cum sempiternæ salutis discrimine. Quod S Doctor confirmat exemplo suo, quando cum sodalibus suis preces Deo fudit pro depellendo dentium dolore, & voti compos evasit. Itaque ex S. Augustino non sunt improbandæ preces pro bonis hujus temporis a Deo impetrandis.

Ad primum ergò dicendum, quod S. Augustinus loco allegato preces Christianis improbat pro impetrandis a Deo bonis dumtaxat exterioribus, nulla ratione habita interiorum bonorum, perindè ac si exteriora bona solum essent, ac summum bonum, & finis ultimus bonorum omnium, quo habito, sit homo futurus beatus. Non enim ex S Doctore largitur Deus homini bona exteriora, quibus perfruatur, tanquam sint gaudium vitæ beatæ, sed quibus utatur, quia sunt necessitas vitæ calamitosæ, quæ proinde non sunt optabilia per se se, sed propter aliud, videlicet, ut his adminiculis consulamus vitæ præsenti, quæ, his destituta præsidiis, tolerari omnino non posset.

Ad secundum dicendum, quod S. Doctor loco producto eos Christianos redarguit, qui nihil aliud amabant, nihil aliud in votis habebant, nihil aliud confectabantur, præter voluptates præsentis vitæ, perindè ac si nihil post mortem ad eos pertineret. Cum igitur voluptarii hujusmodi homines suas omnes curas, cogitationes, atque conatus in id dirigerent, quo fluxa & caduca bona conseqnerentur, S. Doctor, propositis sempiternis bonis, atque immortalibus, a prava cupiditate mortalium bonorum nititur eos avocare, eosdemque in spem immortalium bonorum erigere.

Ad tertium dicendum, quod S. Augustinus in recitato Sermone discrimen affert inter bona vitæ præsentis, & bona vitæ futuræ. Docet enim bona vitæ præsentis potius non esse, quàm esse; siquidem non stant, non permanent; sed avolant,

lant, atque evanescunt. At verò bona vitæ futuræ sola sunt bona, utpote sempiterna, stabilia, atque constantia. Docet præterea utraque esse munera Dei; sed primi generis, communia hominibus, atque belluis; adeoque parcè, & sobrie expetenda: secundi generis, solis Cælestis Jerusalem civibus consentanea; ac proinde in magno pretio esse habenda, summisque precibus a Deo flagitanda esse immortalia bona.

Ad quartum dicendum, quod ibi S. Doctor demonstrat bona præsentis vitæ, posita in conspectu bonorum vitæ futuræ, Christiano homini contemnenda esse, ac pro nihilo habenda. Siquidem bona hujus temporis communia sunt probis & improbis, piis & impiis, religiosis atque sacrilegis. At verò sempiterna bona, solis piis, probis, ac religiosis peculiaria sunt, iisdemque, exquisito quodam delectu, a Deo præparata, ac destinata, adeoque potiori jure, ac majori studio nobis a Deo expetenda sunt bona, quæ semper permanent, præ bonis iis quæ cum fugaci vitâ labuntur, & effluunt. Admonet hoc S. Doctor Lib. 2. de Serm Dom. in Monte cap 16. num. 53. tom. 3. per hæc verba: *Vos regnum Dei, & justitiam ejus primùm quærite. Cum enim dixit illud primùm, significavit, quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Duo genera beneficiorum sunt, temporalia, & æterna. Temporalia sunt salus, substantia, honor, amici, domus, filii, uxor, & cetera vitæ hujus ubi peregrinamur. Æterna verò beneficia sunt primùm ipsa vita æterna, incorruptio & immortalitas carnis, & animæ, societas Angelorum, civitas cælestis, dignitas indeficiens, Pater, & Patria: ille sine morte, illa sine hoste. Hæc beneficia toto ardore desideremus, omni perseverantia petamus. Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt. Temporalia vera ista aliquando*

quando prosunt, aliquando obsunt. Ac per hoc, fratres, petamus & ista temporalia moderatè, securi quia si accipimus, ille dat, qui novit quid nobis expediat. (b) *Non habeatis ergo pro magno exaudiri ad voluntatem, habete pro magna exaudiri ad utilitatem. Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæcula promittit, ab illo petitis, securi petite, & incumbite quantum potestis orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur: illa ejus non ira, sed misericordia largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut si prosunt, det, si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non ægrotus.* (c) *In his ergo temporalibus, fratres, admonemus vos, & exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid fixum, sed quod Deus vobis expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis: nolite medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere.* (d) Omnia sinè terrena *bona Dei munera sunt. Nec putetis, fratres, quòd aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergò non expectant ista, nisi a Domino, multùm interest inter hos, & eos, qui illa quærunt aut a Dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobus modis miseri sunt, quia & terrena sola bona desiderant, & non ab eo petunt, qui dat omnia bona. Qui verò ista bona desiderant, & in his bonis felices esse volunt, & ista sola petunt a Deo, hoc quidem meliores sunt, quia a Deo petunt, sed adhuc periclitantur.* (e) *Errant* etiam in his *homines aliquando, quamvis de Deo præsumant, ad temporalia tamen, ut dicant sibi: Colo Deum meum, qui me facturus est divitem in terra, qui mihi filios daturus est, qui mihi uxorem daturus est. Talia quidem non dat nisi Deus, sed non vult se propter talia diligi Deus. Ideo enim sæpè ista dat & malis, ut aliud ab illo discant quærere boni.* (f) *Regnum ergo, & justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis con-*

constituendus, propter quod omnia faciamus, quæcumque facimus; sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest: Apponentur vobis hæc, inquit; sed vos Regnum Dei, & justitiam ejus primùm quærite. Cum enim dixit illud primum, significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum, necessarium autem propter illud bonum. (g) At verò *sana fide intelligamus ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cùm ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno Deo.* (h) Quare *si opus est carni pane, si opus est aquâ, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est jumento carni huic, a Deo petere debet, non a Dæmoniis, & Idolis, & a nescio quibus potestatibus hujus sæculi.* (i) *Dona ergo ista quæ nascuntur vel de pluvia, vel de Sole, a Domino quidem nostro petere debemus, cùm sint necessaria; sed non ista sola, quia ista dantur & bonis, & malis.* (k) *Quisquis* igitur *ista terrena fortè, vel propter supplementa necessitatis, vel propter aliquam infirmitatem desiderat, non nisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, & Creator, & Recreator universorum.* (l) Sed *& vobis dicimus, & nobis dicimus: & nobis, & vobis dicimus, quando petimus in nomine Christi temporalia ista, certe enim petiistis. Nam quis non petat? Alius sanitatem petit, si ægrotat: Alius liberationem petit, si in carcere constitutus est: Alius portum rogat, si in navi turbatur: Alius victoriam rogat, si cum hoste confligit: & in nomine Christi totum rogat, & nihil est quod rogat.* (m) *A tali* ergò *Patre quid petituri sumus? Nunquid non ab illo & hodie, & heri, & nudius tertius pluviam petimus? Nihil magnum est quod a tali Patre petivimus. Et tamen videtis cum quanto gemitu, cum quanto desiderio pluviam petamus.* (n) Sic & ego cùm *dolore dentium excruciabas me, & cùm in tantum ingravesceret, ut non valerem loqui: Adscendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ, & scripsi hoc in cera, & dedi, ut eis legeretur. Mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit* dolor

dolor ille. (o) Sic & tu *veneras* fortè *ad Ecclesiam nescio quid hodie petiturus. Quid putamus veneras petiturus? Veneras cum desiderio tuo nescio quo; utinam innocenti, etsi carnali*. Hactenus ex S. Augustino.

(*a*) Serm. 80. c. 10. n. 7. to. 5. (*b*) Serm. 354. c. 7. n. 7. to. 5. (*c*) In Psal. 53. n. 5. to. 4. (*d*) In Psal. 35. n. 7. to. 4. (*e*) In Psal. 51. n. 16. to. 4. (*f*) Lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 16. n. 53. p. 2. to. 3. (*g*) Lib. 1. Quæst. in Genesim quæst. 76. p. 1. to. 3. (*h*) In Psal. 62. n. 7. to. 4. (*i*) In Psal. 62. n. 14. to. 4. (*k*) In Psal. 66. num. 2. to. 4. (*l*) Serm. 145. n. 6. to. 5. (*m*) Serm. 51. c. 3. n. 3. to. 5. (*n*) Lib. 9. Confessionum c. 4. n. 12. to. 1. (*o*) In Psal. 137 n. 7. to. 4.

ARTICULUS V.

Utrum ex S. Augustino cælibis, & conjugalis vitæ paria sint merita?

Videtur, quod ex S. Augustino cælibis, & conjugalis vitæ paria sint merita. Cùm enim S. Doctor multus sit in nuptiarum laudibus celebrandis, quod subjecta S. Doctoris testimonia perspicuum faciunt; hinc confici ex S. Doctore videtur, cælibis, & conjugalis vitæ paria esse merita.

ET primo quidem Lib. 9. de Genesi ad Litteram c. 7. n. 12. p. 1. to 3. *Denique utriusque sexûs infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut, quod sanis esse posset officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum, imo verò non propter illud malum, culpabile est hoc bonum; sed propter hoc bonum, veniale est illud malum: quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quo bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne, præter vinculum conjugale, cum altera, vel cum altero concumbatur. In prole,*

ut

ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec caussa prolis, alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.

II. Tract 9. in Jo. n. 2. p. 2. to. 3. *Qui benè eruditi sunt in Fide Catholica, noverunt quòd Deus fecit nuptias; & sicut conjunctio a Deo, ita divortium a Diabolo sit. Sed propterea in caussa fornicationis, licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit.*

III. Lib. de Peccato Originali c. 37. n. 42. to. 10. *Clarum est igitur hoc non esse nuptiis imputandum, quod & si non esset, nuptiæ tamen essent, quarum bonum non aufertur isto malo; sed ab eis hoc malum in usum vertitur bonum.*

IV. Lib. 2. de Nuptiis, & Concupiscentia c. 32. num. 54. to. 10 *Absit ergo ut dicamus, quod nos dicere iste confingit: Ista conjugia, quæ nunc aguntur, a Diabolo inventa. Prorsus ipsæ sunt nuptiæ, quas ab initio Deus instituit. Hoc enim bonum suum ad hominum generationem institutum, etiam damnatis hominibus non detraxit, quibus non detraxit etiam sensus carnis, & membra, procul dubio munera sua, quamvis jam debita damnatione moritura.*

V. Lib. de Bono conjugali c. 24. n. 32. to. 6. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines, in caussa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.*

VI. Lib. 14. de Civitate Dei c. 21. to. 7. *Illa vero benedictio nuptiarum, ut conjugati crescerent, & multiplicarentur, & implerent terram, quamvis & in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent, data est, ut cognosceretur procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Augustino cælibis, & conjugalis vitæ merita non sunt paria. Siquidem cælibis vitæ meritum multò magis conjugalis vitæ merito antecellit. Id autem ex iis, quæ huc advocamus, S. Doctoris placitis, confirmatur.

I. Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 82. to. 8. hæc de Joviniano refert, & improbat. *Virginitatem sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis, in sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audita, nupsisse dicantur. Non sanè ipse vel habebat, vel habere volebat uxorem; quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in Regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias, disputabat. Citò tamen ista hæresis oppressa & extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire.*

II. Lib. 2. Retract. c. 22. n. 1. to. 1. *Joviniani hæresis, sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantùm valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicia nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cùm eas urgeret dicens: Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna, sive Anna? & ceteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum commemoratione Patrum conjugatorum, & comparatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissimè ac fortissimè restitit.*

III. Lib. 3. de Peccatorum meritis, & remiss. c. 7. n. 13. to. 10. *Ante paucos annos Romæ quidam extitit Jovinianus, qui sanctimonialibus, etiam ætate jam provectioribus, nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo, quo earum aliquam ducere vellet uxorem; sed disputando Virgines sanctimonio dicatas,*

nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum.

IV. Lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 2. n. 4. to. 10. *Manichæos* Julianus *appellat catholicos, more illius Joviniani, qui ante paucos annos hæreticus novus, Virginitatem Sanctæ Mariæ destruebat, & Virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc objiciebat Catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum.* Refert igitur Augustinus, quod error fuerit Joviniani docentis virginitatem nihil præstare conjugio, neque vitam cælibem dignitate antecellere conjugalem vitam, sed utramque ejusdem esse ponderis ac momenti, eodemque loco & ordine esse apud Deum vitæ cælibis honestatem, cum conjugalis vitæ honestate; ac proindè nihil amplius promereri apud Deum cælibes, qui continentiæ gratiâ a licitis voluptatibus conjugalibus abstinent, præ iis, qui voluptatibus hujusmodi perfruuntur. Hanc autem a veritate Christiana Joviniani hæretici discrepantem sententiam Romæ fuisse proscriptam, brevique ab exortu temporis intervallo oppressam fuisse, atque extinctam locuples testis est Augustinus. Itaque ex S. D. cælibis, & conjugalis vitæ merita non sunt paria.

V. Lib. de Bono Conjugali c. 8. n. 8. to. 6. *Sicut jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum; ita nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiarum. Verumtamen neque ibi prandium jejunio, sed justitia sacrilegio; neque hic nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur. Ad hoc enim justi, cum opus est, prandent, ut tanquam boni Domini, quod justum & æquum est, servis corporibus præbeant: ad hoc autem sacrilegi jejunant, ut dæmonibus serviant. Sic ad hoc nubunt fideles, ut maritis pudice copulentur; ad hoc autem sunt virgines impiæ, ut a vero Deo fornicentur. Sicut ergo bonum erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium Sanctorum; sed melius quod Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, & audiens verbum ejus: ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multò magis Mariæ Virginis anteponimus.*

VI. Lib.

VI. Lib. de Bono conjugali c. 23. n. 34. to. 6. *Continentes vel mares, qui defunctis uxoribus, vel feminæ, quæ defunctis viris, vel utrique, qui pari consensu Continentiam Deo voverunt, sciant sibi quidem mercedis amplius deberi, quam conjugalis castitas poscit.*

VII. Ibidem n. 35. *Pueros quoque, ac Virgines integritatem ipsam Deo dicantes, multò maximè commonemus, ut tantâ noverint humilitate tuendum esse, quod in terrâ interim vivunt, quantò magis cæli est, quod voverunt. Nempè scriptum est: Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus. Nostrum ergo est de magnitudine eorum aliquid dicere, illorum de magna humilitate cogitare. Exceptis igitur quibusdam illis conjugatis Patribus, & Matribus Sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamvis conjugati non sint, quia si conjugati essent, pares non essent; ceteros omnino hujus temporis conjugatos, vel post expertum concubitum continentes, a se superari non dubitent: non quantum ab Anna Susanna; sed quantum ambæ a Maria superantur.*

VIII. Lib. de Sancta Virginitate c. 1. n. 1. to. 6. *Christi virgines admonuimus atque monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris, quod divinitùs acceperunt, contemnant in sui comparatione Patres & Matres populi Dei . . . ideo meriti inferioris esse arbitrentur, quia jure divino continentia connubio, & nuptiis pia virginitas anteponitur.* Ex habito igitur superiorum sententiarum delectu asserui sumus, quod ex S. Augustino pia virginitas, castis etiam nuptiis est præferenda: quod castitas viduæ Annæ anteponenda est castitati nuptæ Susannæ: quod viduis maribus, atque fœminis continentibus, quemadmodum & conjugibus, qui pari consensu continentiam Deo voverunt, uberior & amplior merces a Deo debetur, quàm conjugalis castitas sibi postulet: quod virginitas Deo devota non est mortale quid, sed cæleste: quod casti mariti, uxoresque castæ, post expertum etiam concubitum continentes, meritò ac dignitate a virginibus superantur, non quantum ab Anna vidua superatur nupta Susanna, sed quantum ambæ a Virgine Maria superantur: quod

Christianæ Virgines amplius & excellentius munus præ ceteris non virginibus divinitùs acceperunt: quod non humano, sed divino jure cælibum continentia casto connubio conjugum anteponitur, Christianisque nuptiis pia virginitas antefertur. Res igitur est apertissima, & meridiana luce splendidior, quod ex S. Augustino cælibis vitæ meritum conjugalis vitæ merito antecellit.

IX. Lib. de Sancta Virginitate c. 12 n. 12. to 6. *Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant; sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant. Hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium; pudicitiam conjugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.*

X. Lib. de Bono Viduitatis c. 15. n. 19. to. 6. *Pervenimus autem, quod ad hanc rem, de qua loquimur, attinet, ut continentiam conjugio præponamus; sanctam verò virginitatem etiam continentiæ viduali; & ne aliquas nuptias, quæ tamen non adulteria sed nuptiæ sunt, cujuslibet nostri nostrorumve propositi laude, damnemus.*

XI. Lib. 15. de Civitate Dei c. 26. n. 2. to. 7. *Possunt hic intelligi etiam multò convenientius tres illæ ubertates Evangelicæ, tricena, sexagena, centena, ut infimò habitet pudicitia conjugalis, supra vidualis, atque hac superior Virginalis: & si quid melius secundùm fidem Civitatis hujus intelligi, & dici potest. Hoc etiam de ceteris, quæ hic exponenda sunt, dixerim, quia etsi non uno disseruntur modo, ad unam tamen Catholicæ Fides concordiam revocanda sunt.*

XII. Lib.

XII. Lib. de Sancta Virginitate c. 23. n. 23. to. 6. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cælorum. Et contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare; in regno autem cælorum amplius quidquam ceteris non habere.* Habes ex superioribus singulares laudes, quibus Augustinus cælibis, ac virginalis vitæ merita in cælum effert. Sunt autem hujusmodi. Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu temperantia est quædam societas & communicatio Naturæ Angelicæ. Quævis fœcunditas corporis, quævis pudicitia conjugalis virginali integritati jure meritoque primas concedat, necesse est. Magnum aliquod præ ceteris præmium in communi illâ immortalitate virgines sunt habituri, qui magnum aliquod ornamentum habent in corpore, quod non est corporis. In magnifica, atque spatiosa Ecclesiæ Catholicæ domo infimam quasi contignationem occupat castitas conjugalis, superiorem castitas vidualis, supremam autem castitas virginalis. Qui pio proposito ab uxore dicenda se continuerint, in cælesti regno ubertorem mercedem sunt præ ceteris consecuturi. Ex his autem præclarissimè elucet, quod ex S. Augustino cælibis vitæ meritum conjugalis vitæ merito longè præstantius eminet.

XIII. Lib. de Sancta Virginitate c. 44. n. 45. to. 6. *Estne aliquid quod Virgo Dei veraciter cogitet, unde se fideli mulieri non tantùm viduæ, verùm etiam conjugatæ præferre non audeat? Non ego reprobam dico. Nam quis nesciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam? Sed cum ambæ sunt obedientes præceptis Dei, itane trepidabit sanctam virginitatem etiam castis nuptiis, & continentiam præferre connubio, fructum centenum præire triceno?*

XIV. Lib. de Sancta Virginitate c. 24 n. 24 to. 6. *De quibus autem spadonibus loquitur Deus per Isaiam Prophetam, quibus se dicit daturum in domo suâ, & in muro suo locum nomi-*

nominatum, meliorem multò quàm filiorum, atque filiarum, nisi de his, qui seipsos castrant propter regnum Cælorum? ... Itane tantâ dementiâ quisquam est contrarius veritati, ut in carne factos eunuchos meliorem quàm conjugatos locum in domo Dei habere credat, & pia proposita continentes, corpus usque ad contemtas nuptias castigandas, seipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cælestem & Angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat?

XV. Tract. 9. in Jo. n. 2. to. 3. *Nec illæ, quæ Virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt. Nam & ipsæ pertinent ad nuptias cum totâ Ecclesia, in quibus nuptiis Sponsus est Christus.*

XVI. In Psal. 75. n. 16. to 4. *Sunt etiam vota propria singulorum. Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam: sic & fœmina, ut præter virum suum non noverit alium. Alii etiam vovent, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere: & ipsi voverunt aliquid majus quàm illi. Alii Virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale, vel experiantur, quale illi experti reliquerunt: & isti voverunt plurimum.* Itaque auctore, ac teste Augustino ex Isaiæ vaticinio cælibes sublimiorem locum in patria cælesti obtinebunt, quàm juncti conjugiis. Quemadmodum autem evangelicus fructus centenus copiosior est fructu triceno, ita cælibatus castus multò pretiosior est casto connubio: cælibes enim continentiam sectantes pravas libidines extirpant radicitùs, & Angelicam vitam ab illecebris corporis segregatam in terris transigunt, quorum apud Deum merita, si quis maritorum meritis paria esse contendat, is insanire sese, atque dementem esse demonstrat. Virgines verò, quæ virginitatem suam Deo vovent, eminentiorem honoris gradum in Ecclesia tenent, neque proinde nullis, sed felicioribus ornantur nuptiis; siquidem sponso castissimo ac formosissimo Christo Domino nubunt, cujus sponsa est Ecclesia: & quamvis multum,

vo-

voveant, qui conjugalem, plus tamen vovent, qui vidualem, plurimum autem vovent, qui virginalem Deo pudicitiam vovent. His positis ex S. Augustino consequitur, quod cælibis vitæ meritum conjugalis vitæ meritum antecellit.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Augustino loco allegato nuptiæ non sunt malæ, sed bonæ; non illicitæ, sed honestæ, utpotè quæ tria bona munera complectuntur, videlicet, fidem, prolem, sacramentum, quibus bonis ex Sancto Doctore vel naturæ decoratur fæcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. At vero si comparatio fiat inter nuptias, & continentiam, continentiæ bonum ex S. Doctore multo magis excellit præ bono nuptiarum. Sic enim habet Sanctus Doctor loco citato: *Unde enim magnum, magnique honeris meritum apud Deum fidelis, & pia virginitas habet, nisi quia isto jam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vindicat, quod jam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat?* Mox ita concludit. *Quia satis disseruimus in eo libro, quem de bono conjugali nuper edidimus, ubi & continentiam vidualem, & excellentiam virginalem pro suorum graduum dignitate distinximus, diutius hic noster stilus non est occupandus.*

Ad secundum dicendum, quod ex S Augustino nuptiæ a Deo institutæ sunt, & conjugalis castitas virtus est de se laudabilis. At si meritum virginalis pudicitiæ cum conjugalis pudicitiæ merito comparetur, in sublimiori primum, in humiliori secundum considet gradu. Hinc S. Doctor loco citato: *Nec illæ*, inquit, *quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt; nam & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis Sponsus est Christus.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Augustino erubescendæ concupiscentiæ malum non est imputandum nuptiis, quod malum si non esset, ut contigisset Adamo non peccante, adhuc tamen nuptiæ essent, quarum bonum, videlicet, proles, pudicitia, sacramentum, non aufertur effrenatæ concupiscentiæ

tiæ malo; sed a nuptiis hoc malum in usum vertitur bonum, humanæ videlicet propagationis. Id autem enucleatius explicat S. Doctor loco allegato per hæc verba: *Verum, quia jam ista conditione mortalium, nunc simul aguntur concubitus, & libido, eo fit, ut, cum libido reprehenditur, etiam nuptialis concubitus licitus & honestus reprehendi putetur ab eis, qui nolunt discernere ista, vel nesciunt. Nec attendunt illud esse nuptiarum bonum, unde gloriantur nuptiæ, idest, proles, pudicitia, sacramentum: illud autem non esse nuptiarum, sed carnalis concupiscentiæ malum, de quo erubescunt & nuptiæ.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Augustino nuptias ab initio Deus instituit, quarum bonum, etiam post Adæ peccatum, in hominibus perseverat. Quibus verbis S. Doctor Julianum Pelagianum refellit, appingentem sibi Manichæorum errorem, perinde ac si S. Doctor damnando pravam concupiscentiam, reprobaret nuptias, easque a diabolo institutas esse doceret. Ita enim prosequitur S. Doctor loco allegato: *Aliæ nuptiæ sine pudenda libidine, aliæ cum pudenda libidine. Cùm tamen secundùm constitutionem suam, quâ legitimè conjungitur mulier viro, & fides carnalis debiti ab adulteriorum peccato servatur immunis, & hoc more legitimo filii seminantur, eædem ipsæ sunt nuptiæ, quas Deus instituit: quamvis Diabolus non ipsas, sed homines, ex quibus nuptiæ fiunt, antiquâ peccati persuasione sauciaverit, inobedientiæ persuadendo peccatum, cui per divinum judicium inobedientia membrorum reciproca redderetur, in quâ conjugati, quamvis erubuerint nuditatem suam, nuptiarum tamen a Deo institutam non omni modo potuerunt amittere bonitatem.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Augustino tria bona complectuntur Christianæ nuptiæ, ad quæ referuntur honestè, videlicet, prolem, fidem, sacramentum. Nihilo tamen minus ex S. Doctore continentiæ bonum multò magis excedit bonum nuptiarum. Hinc loco citato: *Hæc*, inquit, *omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramen-*

mentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritaliter subdi, melius est utique, & sanctius.

Ad sextum dicendum, quod ex S. Augustino propagatio filiorum, post commune peccatum originis perseverans, atque ex nuptiarum fonte dimanans, ad gloriam connubii, non ad pœnam peccati pertinet. Adhuc tamen statuit S. Doctor continentiam in ordine superiori locari. Hinc Lib. 15. de Civitate Dei c. 26. n. 2. to. 7. triplici pudicitiæ triplex veluti conclave dispertiens, vult: *Ut infimo habitet pudicitia conjugalis; supra, vidualis; atque hac superior, Virginalis.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES

(a) *Virginitatem Sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis, in Sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat* Jovinianus: *ita ut quædam virgines sacræ, provectæ jam ætatis, in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Non sanè ipse vel habebat, vel habere volebat uxorem: quod non propter aliquod apud Deum majus meritum, in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias, disputabat. Citò tamen ista hæresis oppressa, & extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.* (b) *Joviniani* itaque *hæresis, sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantùm valuit in urbe Romá, ut nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cùm eas urgeret, dicens: Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna, sive Anna? & ceteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum Sanctorum sanctum cælibatum commemoratione Patrum conjugatorum, & comparatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissimè ac fortis-*

simè restitit. (c) Jovinianus autem *ante paucos annos extitit, qui Sanctimonialibus, etiam ætate jam provectioribus, nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo, quo earum aliquam ducere vellet uxorem, sed disputando virgines Sanctimonio dicatas, nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum*. (d) Hic etiam *hæreticus novus virginitatem Sanctæ Mariæ destruebat: & virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat: nec ob aliud hoc objiciebat catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum*. (e) Verum *sicut jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum; ita nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiarum. Veruntamen neque ibi prandium jejunio, sed justitia sacrilegio; neque hic nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur. Ad hoc enim justi cum opus est prandent, ut tanquam boni domini, quod justum & æquum est, servis corporibus præbeant: Ad hoc autem sacrilegi jejunant, ut dæmonibus serviant. Sic ad hoc nubunt fideles, ut maritis pudicè copulentur. Ad hoc autem sunt virgines impiæ, ut a vero Deo fornicentur. Sicut ergo bonum erat quod Martha faciebat occupata circa ministerium Sanctorum, sed melius quod Maria Soror ejus sedens ad pedes Domini, & audiens verbum ejus; ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ Virginis anteponimus*. (f) Quare *continentes vel mares, qui defunctis uxoribus, vel fœminæ, quæ defunctis viris, vel utrique, qui pari consensu continentiam Deo voverunt, sciant sibi quidem mercedis amplius deberi, quàm conjugalis castitas poscit*. (g) Quare Virgines *integritatem ipsam Deo dicantes, tanta norint humilitate tuendum esse, quod in terra interim vivunt, quantò magis cæli est, quod voverunt. Nempe scriptum est: Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus. Nostrum ergo est de magnitudine eorum aliquid dicere; illorum de magna humilitate cogitare. Exceptis igitur quibusdam illis conjugatis Patribus & Matribus Sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamvis conjugati non sint, quia si conjugati essent, pares non essent; ceteros omnino hujus temporis conjugatos, vel post expertum*

pertum concubitum continentes, a se superari non dubitent, non quantùm ab Anna Susanna, sed quantùm ambæ a Maria superantur. (h) Christi igitur virgines monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris, quod divinitùs acceperint, contemnant in sui comparatione Patres, & Matres populi Dei: ideo meriti inferioris esse arbitrentur, quia jure divino continentia connubio, & nuptiis pia virginitas anteponitur. (i) Quamobrem habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia Sacramentum connubii non violant. Hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate; illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet Cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. (k) Continentiam igitur conjugio præponamus; sanctam vero virginitatem etiam continentiæ viduali: & ne aliquas nuptias, quæ tamen non adulteria sed nuptiæ sunt, cujuslibet nostri nostrorumve propositi laude, damnemus. (l) Hinc in infimo habitet pudicitia conjugalis; supra, vidualis; atque hac superior, virginalis. (m) Nam quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare se ipsos propter regnum Cælorum: & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare; in regno autem Cælorum amplius quidquam ceteris non habere. (n) Estne igitur aliquid, quod virgo Dei veraciter cogitet, unde se fideli mulieri, non tantum viduæ, verùm etiam conjugatæ præferre non audeat? Non ego reprobam

dico: Nam quis nesciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam? Sed cum ambæ sunt obedientes præceptis Dei, itane trepidabit sanctam Virginitatem etiam castis nuptiis, & continentiam præferre connubio, fructum centenum præire triceno? (o) Sed *nec illæ, quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt. Nam & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis Sponsus est Christus.* (p) *Sunt etiam vota propria singulorum. Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut, præter uxorem suam, non noverit aliam; sic & fœmina, ut, præter virum suum, non noverit alium. Alii etiam vovent, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere: & ipsi voverunt aliquid majus, quàm illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale experiantur, quale illi experti reliquerunt: & isti voverunt plurimum:* (q) *De quibus spadonibus loquitur Deus per Isaiam Prophetam, quibus se dicit daturum in domo suâ, & in muro suo locum nominatum meliorem multò, quàm filiorum, atque filiarum, qui se ipsos castrant propter regnum cælorum. Nam quis sanctâ dementiâ veritati est contrarius, ut in carne factos eunuchos meliorem quàm conjugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus usque ad contemtas nuptias castigandas, seipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cælestem & Angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat?* Hactenus ex S. Augustino.

AR-

(*a*) Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n.28. to.8. (*b*) Lib. 2. Retract. c. 22. n. 1. to. 1. (*c*) Lib. 3. de peccatorum meritis & remissione c. 7. n. 13. to. 10. (*d*) Lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 2. n. 4. to. 10. (*e*) Lib. de Bono Conjugali c. 8. n. 8. to. 6. (*f*) Ibidem c. 25. n. 34. (g) Ibidem n. 35. (*h*) Lib. de Sancta Virginitate c. 1. n. 1. to. 6. (*i*) Ibidem c. 12. num. 12. to. 6. (*k*) Lib. de Bono Viduitatis c. 15. n. 19. to. 6. (*l*) Lib. 15. de Civitate Dei c. 26. n. 2. to. 7. (*m*) Lib. de Sancta Virginitate c. 23. n. 23. to. 6. (*n*) Ibidem

c. 44. n. 45. to. 6. (o) Tract. 9. in Jo. n. 2. to. 3. (p) In Psal. 75. n. 16. to. 4. (q) Lib. de Sancta Virginitate c. 24. n. 24. to. 6.

ARTICULUS VI.

Utrum Sancti Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, castitatis vinculo obstricti?

Dicendum, quod S. Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, castitatis vinculo obstricti. Hæc autem definitio ex subjectis S. Doctoris sententiis Sole ipso clarior, atque illustrior evadit.

I. Lib. 2. de Conjugiis Adulterinis c. 20. n. 22. to. 6. *Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. Dicimus ergò eis: Quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentiâ caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repentè conversi ad impetrandas vires a Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimùm consolatur. Respondemus: Et vobis timor multò amplius moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repentè, atque inopinatè impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hereditate fulgere, quantò magis vos adulteria cavendo, vivere continenter debetis, metuentes non in Regno Dei minus lucere, sed in gehenna ignis ardere?* Redarguit hic Augustinus quosdam maritos, qui, in divortio, ac discessione a suis uxoribus, novas uxores ducere contendebant, quamvis dimissæ uxores essent adhuc superstites, imbecillitatem suam fragilitatemque incusantes, quâ debilitati sese continere non posse affirmabant. Ut futiles istorum excusationes Augustinus ostendat, in medium pro-

producit Clericorum exemplum, qui popularibus acclamationibus, ut mos erat per ea tempora, electi, ægro animo sacratioribus Ecclesiæ Mysteriis initiabantur: ex quibus alii erant cælibes, alii juncti conjugio. Cælibes ad contrahendum matrimonium; juncti verò conjugio ad matrimonii initi usum, suscepti ministerii causâ, inepti atque inhabiles evadebant. Ac proinde utrique, ratione sacratioris muneris, quod susceperant, perpetuo servandæ continentiæ vinculo erant obstricti. Perspicuum est igitur, atque exploratum, quod Sancti Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, castitatis vinculo obstricti.

II. Lib. 6. Confessionum c. 3. n. 3. to. 1. *Ambrosium felicem quemdam hominem secundùm sæculum opinabar, quem sic tantæ Potestates honorarent. Cælibatus tantùm ejus mihi laboriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret, & adversùs ipsius excellentiæ tentamenta, quid luctaminis haberet, quidve solaminis in adversis, & occultum os ejus, quod erat in corde ejus, quàm sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conjicere noveram, nec expertus eram.* Ex superiori testimonio habemus, quod Augustinus adhuc profanus, cùm duplici illecebra: videlicet, & voluptate corporis, & splendore nominis caperetur, in Ambrosio Episcopo Mediolanensi, in quo & celebritas nominis, & cælibatus Episcopi simul confluebant, splendorem quidem nominis suspiciebat; sed cælibatum Episcopi, quem se assequi posse diffidebat, nimis laboriosum esse existimabat, quem comitem individuum sacri illius muneris esse intelligebat. Constat igitur, quod per ea tempora Episcopi honos, & Cælibis onus divelli, ac disjungi minimè poterant. Itaque manifestum est, quod S. Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, vinculo castitatis obstricti.

III. Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 82. to. 8. hæc de Joviniano hæretico refert. *Virginitatem Sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis, in sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ, provectæ jam ætatis, in Urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur....*

Citò

Citò tamen ista hæresis oppressa & extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire. Narrat hic Augustinus, quod Jovinianus hæreticus docebat in Urbe Roma, non pluris faciendam esse virginitatem & cælibatum, quàm nuptiæ & connubia; utriusque enim status merita exæquabat: Additque hæreticum hominem, subdolis argumentationibus, Romanas quasdam virgines sacras, vinculo castitatis obstrictas, in sacrilegas nuptias conjecisse. At verò non valuit eadem fraude & astutiâ Romanos Sacerdotes circumvenire, ut, deceptarum virginum exemplo animati, licitas sibi esse nuptias arbitrarentur. Ex quibus apparet, non minus fuisse vinculo castitatis obstrictas virgines illas lapsas, quàm fuerint eodem vinculo castitatis obstricti, tenaces illi casti propositi Sacerdotes. Cum autem ea, quæ memorat S. Doctor cùm de sacrarum virginum lapsu, tùm de religiosa castorum Sacerdotum constantia, ætate sua Romæ contigerint, legitima consecutione deducimus, quod S. Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, vinculo castitatis obstricti.

IV. Possidius in vita S. Augustini c. 26. to. 10. in fine: *Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, ne quidem germana soror, quæ, vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitûs sui, Præposita ancillarum Dei vixit. Sed nec patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant, quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore, & neptibus secum commorantibus, nulla nasci posset mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ, sine aliis necessariis secumque manentibus fœminis, esse non possent, & quod ad eas aliæ etiam a foris intrent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci: & illos, qui cum Episcopo, vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis posse unà commorantibus vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob hoc ergo dicebat, nunquam debere fœminas cum servis Dei etiam castissimis, una manere Domo, ne, ut dictum est, aliquod scandalum,*

dalum, aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. Quamobrem ex Possidio nulla unquam fœmina conturbenalis fuit Augustini, nec Cleri Hipponensis cum Augustino commorantis: quas omnes Concilia per ea tempora a Clericorum contubernio excludebant, exceptis tantum proximioribus consanguineis. Augustinus autem dictitare solebat: Non debere fœminas cum Clericis servis Dei etiam castissimis in eadem manere domo, propter periculum castitatis, & bonæ famæ. Hæc autem non levia nec contemnenda sunt argumenta, quod Sancti Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, vinculo castitatis obstricti.

V. Concilium Carthaginense II. c. 2. celebratum anno 396. S. Augustini tempore to. I. Venetæ Edit. 1585 *Aurelius Episcopus dixit: Cùm in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.*

VI. Concilium Carthaginense III. c. 17. celebratum anno 397. to. I. Venetæ Edit. 1585. *Ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent; sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum, & quæcumque ex familia, domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant: vel si filii eorum,*

rum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

VII. Concilium Carthaginense v. c. 3. celebratum anno 438. to. 1. Venetæ editionis 1585. *Præterea cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentiâ referretur, placuit Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, secundùm propria statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Itaque ex tribus Conciliis Carthaginensibus idest secundo, tertio, & quinto, ea ferme ætate in Africa celebratis, quâ S. Augustinus floruit, habemus Clericis omnibus, tuendæ castitatis, turpisque suspicionis amovendæ causâ, interdictum prorsus fuisse cum quibuslibet fœminis contubernium, exceptis dumtaxat consanguineis, & ex domestica familia inquilinis fœminis, quarum opera foret necessaria. Item habemus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, nec non & Levitas, qui divinis Mysteriis dant operam, ratione consecrationis, vinculo castitatis fuisse obstrictos, quibus præcipitur, ut castitatem custodiant, & a propriis etiam uxoribus se contineant, si fortè ante consecrationem juncti erant uxoribus. Hanc autem veterem fuisse Ecclesiæ consuetudinem, & usque ab Apostolicis ductam temporibus ad nos emanasse Africani Patres declarant. Postremò eos, qui secus fecerint, ab omni Ecclesiastico munere removendos esse decernunt. Res igitur est apertissima, quod S. Augustini tempore floruerint ministri Ecclesiæ, vinculo castitatis obstricti.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) Jovinianus *virginitatem Sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis, in Sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; itaut quædam virgines sacræ, provectæ jam ætatis, in urbe Româ, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Citò tamen*

men ista hæresis oppressa & extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire: (b) De quibus sic cautum est in Concilio Carthaginense v. *Cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentiâ referretur, placuit Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, secundùm propria statuta, etiam ab uxoribus continere: Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastica removeantur Officio. Ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundùm cujuscunque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*. (c) Quia gradus *isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est*: Omnibus placet, *ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est*: Placet, *ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt*. (d) Præterea, *ut cùm omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum, & quæcumque ex familia, domesticâ necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cùm eis habitabant, vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit*. (e) At intra domum Augustini *fœminarum nulla unquam conversata est, nulla mansit, ne quidem germana soror, quæ, vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitûs sui, Præposita ancillarum Dei vixit; sed nec patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant, quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla posset nasci mala suspicio, tamen quia illæ personæ sine aliis necessariis, secumque manenti-*

nentibus fœminis esse non possent, & quòd ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci; & illos, qui cum Episcopo, vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis posse unà commorantibus, vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessime diffamari. Ob hoc ergò dicebat, nunquam debere fœminas cum servis Dei etiam castissimis una manere domo, ne, ut dictum est, aliquod scandalum aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur, aut salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. (f) Objecto autem Clericorum exemplo: *Istos*, dicebat, *qui virilem excellentiam non putant, nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.* (g) Quos inter *Ambrosium felicem quemdam hominem secundùm sæculum opinabar, quem sic tantæ Potestates honorarent. Cælibatus tantùm ejus mihi laboriosus videbatur.* Hactenus S. Augustini tempore.

(*a*) Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 28. to. 8. (*b*) Concil. Carthaginen. v. cap. 3. anno 438. (*c*) Concil. Carthaginen. II. cap. 2. anno 326. (*d*) Concil. Carthaginen. III. c. 17. anno 397. (*e*) Possidius in vita S. Augustini c. 26. to. 10. in fine (*f*) Lib. 2. de Conjugiis adulterinis c. 20. n. 22. to. 6. (*g*) Lib. 6. Confessionum c. 3. n. 3. to. 1.



ARTICULUS VII.

Utrum S. Augustini tempore floruerint sacræ Virgines, vinculo castitatis obstrictæ?

Dicendum, quod S. Augustini tempore floruerint sacræ Virgines, vinculo castitatis obstrictæ. Ad hanc enim definitionem tot accedunt S. Doctoris suffragia, quot ejusdem S. Doctoris sententias hic recensemus.

I. LIb. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 28. to. 8. hæc narrat de Joviniano: *Virginitatem Sanctimonialium conjugiorum castrorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam Virgines, provectæ jam ætatis, in urbe Romá, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur.*

II. Lib. 2. Retract. c. 22. n. 1 to 1. *Joviniani hæresis, sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantùm valuit in urbe Romá, ut nonnullas etiam Sanctimoniales ..... dejecisse in nuptias diceretur.*

III. Lib. 3. de Peccatorum meritis & remissione c. 7. n. 13. to. 10. *Ante paucos annos Romæ quidam extitit Jovinianus, qui Sanctimonialibus etiam ætate jam provectioribus nuptias persuasisse dicitur .... disputando Virgines Sanctimonio dicatas nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum.* Quamobrem S. Augustini tempore floruerunt in Urbe Virgines Deo sacræ, ac dicatæ, quæ virginitatem suam Deo devoverant, & sanctimoniam virginalis vitæ profitebantur, quæ, per impium facinus & execrabile, utpote castitatis vinculo impeditæ, Joviniano hæretico suadente, se nuptui Romæ tradiderunt. Ac proinde S Augustini tempore floruerunt Virgines sacræ, vinculo castitatis obstrictæ.

IV. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c 31. n. 68. to. 1. *Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicitè castèque servientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ a viris quàm longissimè decet, pia tantum illis caritate junguntur, & imitatio-*

tatione virtutis; ad quas Juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent, gratiâ. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus est, resumentes.

V. In Psal. 75. n. 16. circa medium to. 4. *Virgo est castimonialis jam dicata Deo: habebat & cetera, quæ vere ornant ipsam virginitatem, & sine quibus illa virginitas turpis est .... Si, antequam vovisset, nupsisset, non damnaretur .... Hoc dico, nubere licet, antequam voveat ..... O tu Virgo Dei, nubere noluisti, quod licet .... Quæ autem respexit ad nuptias, non, quia voluit nubere, damnatur; sed quia jam antecesserat, & fit uxor Lot, respiciendo retrorsum.*

VI. In Psal. 83. n. 4. to. 4. *Virgo, quæ, si nuberet, non peccaret, Sanctimonialis si nupserit, Christi adultera deputabitur; respexit enim retro de loco, quò accesserat.*

VII. Serm. 148. c. 2. n. 2. to. 5. *Potest Virgini Sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua nunquid non manens tibi manebat, &, antequam eam voveres, in tua fuerat potestate? Quæcunque autem hoc fecerint, voverint talia, & non reddiderint, non se putent temporalibus mortibus corripi, sed æterna igne damnari.*

VIII. Serm. 355. c. 4. n. 6. to. 5. *Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro. Et, melius est non vovere, quàm vovere, & non reddere. Virgo etsi nunquam fuit in Monasterio, & Virgo Sacra est: illi nubere non licet, quamvis esse in Monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in Monasterio, & deseruit, & tamen Virgo est, dimidia ruit.*

IX. Lib. 20. contra Faustum c. 21. in fine to 8. *Non ideo contemnenda, vel detestanda est virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt .... Quia inter illas virginitates multùm distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quia, cui voveatur, atque reddatur.*

X. Serm. 161. de Verbis Apostoli c. 11. n. 11. to. 5. *Virginibus*

ginibus major amor imposuit majus onus. Virgines, quod licebat, noluerunt, ut plus placerent ei, cui se devoverunt. Ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis sui. Quid jubes? tamquam dicerent, Quid jubes? Ne adulteræ simus, hoc præcipis? Amando te, plus facimus, quàm jubes. De Virginibus, ait Apostolus, præceptum Domini non habeo. Ergò quare hoc faciunt? Consilium autem do. Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexûs non desideraverunt, usque adeo acceptaverunt præceptum, ut non recusarent consilium. Ut plus placerent, plus se ornaverunt. Constat igitur, quod S. Augustini tempore floruerint Virgines sacræ, non secus ac nostra ætate, religiosis claustris ac septis inclusæ, quæ soli Deo vacabant, atque omnem suam operam divinis rebus locabant. Ad hujusmodi sacras virgines, utpote vinculo castitatis obstrictas, nullus religiosis adolescentibus, neque ipsis quamvis gravissimis ac probatissimis senibus, nisi ad Monasterii vestibulum, patebat accessus: nec aliter quàm commutandi gratiâ victum cum vestibus, quarum opificio Virgines illæ parcè, ac pudicè vitam agebant suam. His, antequam virginitatem suam Deo devovissent, licitæ erant nuptiæ; sed post nuncupatum castitatis votum, non aliter quàm per sacrilegum scelus violatæ sponso suo Christo Domino fidei, se nuptui tradidissent, & hinc ut fœdifragæ igne sempiterno plectendæ. Siquidem post emissum castitatis votum, non erat amplius in earum potestate virginitas: quemadmodum dicata virginitas, nec, apud impios idolorum cultores, in potestate erat Vestalium Virginum, quamvis insigne discrimen inter Vestales, Christianasque Virgines intercedat. Illæ enim falsis numinibus; hæ uni, veroque Deo virginitatem suam devovent. Virginibus autem nostris ex S. Doctore major amor majus tuendæ virginitatis onus imposuit; siquidem nubere, quod licebat, noluerunt, ut plus placerent ei, cui se devoverunt. Itaque ex hactenus recitatis Augustinianis sententiis manifestè conficitur, quod S. Augustini ætate floruerint sacræ Virgines, vinculo castitatis obstrictæ.

CON-

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Ante paucos annos Romæ quidam extitit Jovinianus, qui Sanctimonialibus, etiam ætate jam provectioribus, nuptias persuasisse dicitur, disputando Virgines Sanctimonio dicatas nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum.* (b) Itaque *Virginitatem Sanctimonialium conjugiorum castorum, atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines, provectæ jam ætatis, in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur.* (c) Sic *Joviniani hæresis sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantùm valuit in urbe Româ, ut nonnullas etiam Sanctimoniales dejecisse in nuptias diceretur.* (d) At *virgo, quæ si nuberet, non peccaret, Sanctimonialis si nupserit, Christi adultera deputabitur. Respexit enim retro de loco, quò accesserat.* (e) *Virgo est* enim *castimonialis jam dicata Deo. Si antequam vovisset, nupsisset, non damnaretur. Hoc dico, nubere licet antequam voveat. O tu virgo Dei, nubere noluisti, quod licet. Quæ autem respexit ad nuptias, non quia voluit nubere, damnatur; sed quia jam antecesserat, & fit uxor Lot, respiciendo retrorsum.* (f) *Unde potest Virgini Sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua nunquid non manens tibi manebat, & antequam eam voveres, in tua fuerat potestate? Quæcumque autem hoc fecerint, voverint talia, & non reddiderint, non se putent temporalibus mortibus corripi, sed æterno igne damnari.* (g) *Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, & non implere: Vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro. Et, melius est non vovere, quàm vovere, & non reddere. Virgo, etsi nunquam fuit in Monasterio, & virgo sacra est; illi nubere non licet, quamvis esse in Monasterio non compellitur. Si autem cæpit esse in Monasterio, & deservit, & tamen virgo est, dimidia ruit.* (h) *Nec ideo contemnenda, vel detestanda est Virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt, quia inter illas virginitates multùm distat; quamvis nihil aliud di-*

distet, nisi quæ, cui voveatur, atque reddatur. (i) *Virginibus* enim nostris *major amor imposuit majus onus. Virgines, quod licebat, noluerunt, ut plus placerent ei, cui se devoverunt. Ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis sui. Quid jubes? tamquam dicerent, Quid jubes? Ne adulteræ simus, hoc præcipis? Amando te, plus facimus, quàm jubes. De virginibus, ait Apostolus, præceptum Domini non habeo. Ergo quare hoc facimus? Consilium autem do. Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeo acceptaverant præceptum, ut non recusarent consilium. ut plus placerent, plus se ornaverunt.* (k) Quas inter *est etiam fœminarum vita, Deo sollicitè castèque servientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ a viris, quàm longissimè decet, pia tantum illis caritate junguntur, & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, nec ipsorum quamvis gravissimorum, & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent, gratiâ. Lanificio namque corpus exercent, atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus est, resumentes.* Hactenus ex S. Augustino.

(a) Lib. 3. de Peccatorum meritis & remissione c. 7. n. 13. to. 10. (b) Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 28. to. 8. (c) Lib. 2. Retract. c. 22. n. 1. to. 1. (d) In Psal. 83. n. 4. to. 4. (e) In Psal. 75. num. 16. to. 4. (f) Serm. 148. c. 2. n. 2. to. 5. (g) Serm. 355. c. 4. n. 6. to. 5. (h) Lib. 20. contra Faustum c. 21. to. 8. (i) Serm 161. de Verbis Apostoli c. 11. n. 11. to. 5. (k) Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 31. n. 68. to. 1.



AR-

ARTICULUS VIII.

Utrum S. Augustini tempore floruerint Regulares viri paupertatis, castitatis, & obedientiæ vinculo obstricti?

Dicendum, quod S. Augustini tempore floruerint Regulares viri paupertatis, castitatis, & obedientiæ vinculo obstricti. Id autem S. Doctor passim confirmat atque tuetur in suis operibus, ex quibus subjecta testimonia producimus.

I. IN Psal. 132. n. 2. & 3. to. 4. *Ista verba psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tàm in cantico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit..... Veruntamen, dilectissimi, si consideremus, de illo pariete circumcisionis prius nata est ista benedictio. Num enim omnes Judæi perierunt? Et unde Apostoli filii Prophetarum, filii excussorum?... Unde illi quingenti, qui Dominum post resurrectionem viderunt?.... Unde illi centum viginti, qui simul erant in uno loco post resurrectionem Domini, & adscensionem in cælum, quibus in uno loco constitutis, supervenit Spiritus Sanctus die Pentecostes missus de cælo?.... Omnes inde erant, & ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt; rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur. Et distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Et, quid est in unum? Et erat illis, inquit, anima una, & cor unum in Deum. Ergò ipsi prius audierunt: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum! Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio, & unitas fratrum venit. Venit enim & ad posteros ista caritatis exultatio, & votum Deo. Vovetur enim aliquid Deo, & dictum est: Vovete, & reddite Domino Deo vestro..... Ex voce hujus psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis.*

II. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 31. n.67. to. 1. *Quis non illos miretur & prædicet, qui, contemptis atque desertis Mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt ..... Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quòd sint denis Præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut adsolet, valetudini.*

III. In Psal. 103. Serm. 3. n. 16. to. 4. *Sunt ergò quidam spiritales, nidificantes in cedris Libani, idest, sunt quidam servi Dei audientes in Evangelio: Dimitte omnia tua, vel vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me. Et non tantùm hoc audierunt magni, sed audierunt & parvi, & voluerunt hoc facere & parvi, & esse spiritales, non jungi uxoribus, non macerari curá filiorum, non habere proprias sedes, quibus deligarentur, sed ire in vitam quamdam communem. Sed quid dimiserunt isti passeres? Minuti enim sæculi hujus passeres videntur? Quid dimiserunt, quid magnum dimiserunt? Alius se convertit: dimisit cellam patris sui inopem, vix unum lectum, & unam arcam. Convertit se tamen, factus est passer, quæsivit spiritalia. Benè, optimè: Non illi insultemus, non dicamus: Nihil dimisisti. Non superbiat, qui multa dimisit.*

IV. Epist. 157. ad Hilarium c. 4. n. 39. to. 2. *Ego, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me, vehementer adamavi, & non meis viribus, sed gratiá ipsius adjuvante, sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantùm autem in hac perfectionis viá profecerim,* ma-

magis quidem novi ego, quàm quisquam alius homo; sed magis Deus, quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhorter, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.

V. Serm. 355. c. 1. & 2. n. 2. in fine to. 5. *Volui habere in ista domo Episcopii mecum monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent: nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet.*

VI. Ibidem n. 3. *Venit ad nos presbyter Januarius, qui videbatur sua honestè erogando, quasi consumpsisse, sed non consumpsit. Remansit illi quædam pecunia, idest, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in monasterio fœminarum, & bonæ spei est.... Cœpit ille morti appropinquare, qui diu tanquam de suo, jurans quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit presbyter, & socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, heredes instituit. O dolor illius societatis! O fructus natus non de arbore, quam plantavit Dominus!*

VII. Serm. 356. n. 14. to. 5. *Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere, parum est ut dicam, non mecum manebit: sed & Clericus non erit.... Quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum; sed delebo eum de tabulâ Clericorum. Interpellet contro me mille Concilia: naviget contra me quò voluerit: sit certe ubi potuerit: adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, ille Clericus esse non possit.*

VIII. In. Psal. 75. n. 16. to. 4. *Alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum: magnum votum vovet: Vovete, & reddite Domino Deo nostro. Quisque, quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut quod voverit, reddat. Unusquisque Deo, quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.*

Itaque ex S. Augustino versiculus ille Psalmi, *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum!* suaviter influens in animos pios, monasteria peperit, quæ formam quamdam ac imaginem referunt primitivæ Ecclesiæ, in qua primi Christiani congestam ex bonorum suorum venditione pecuniam ad Apostolorum pedes projiciebant, qui nihil habebant proprium, sed erant illis omnia communia. Ex his originem suam repetunt, qui nominantur Monachi, eodem voluntariæ paupertatis vinculo, cum primitivæ Ecclesiæ Christianis obstricti. Eadem enim voti religione impediti, nihil Monachi possident proprium, sed sunt illis omnia communia; quemadmodum primis Christianis omnia erant communia. Convenienti autem ac consentaneâ paupertati, quam profitebantur, ratione, inopem transigebant Monachi vitam, quos S. Doctor commemorat. Servilibus artibus sese exercebant, atque artefacta opera tradebant Decanis suis, a quibus ea, quæ ad victum, ac necessarium cultum corporis pertinent, accipiebant. Hi, cum audissent ex Evangelio, *Vende omnia tua, & da pauperibus*, & domum, & supellectilem, reamque omnem domesticam & familiarem dimiserunt, & communem monasticam vitam amplexi sunt. Hos inter, Evangelicæ paupertatis gloriâ, præ ceteris S. Doctor excelluit, quo hortante, plurimi voluntariam paupertatem, ac monasticam vitam susceperunt, seseque discipulos, sectatores, alumnos magistro, ac institutori suo Augustino adjunxerunt. His interdixerat Augustinus usum cujuscumque rei, proprio nomine, privatoque jure retinendæ: iisdemque, utpote vinculo paupertatis obstrictis, conficiendi testamenti facultatem omnem ademerat. Hanc autem religiosæ paupertatis sanctionem, contempta voti religione, & Ecclesiâ herede ex testamento institutâ, non sine maximo animi sui dolore, & religiosæ suæ familiæ dedecore, religiosum quemdam presbyterum Januarium violasse S. Doctor commemorat, & vehementer dolet; quandoquidem, ut ipse admonet, si quis voverit relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, magnam rem Deo vovet, ac tenacissimo custodiendæ Evangelicæ paupertatis

tatis vinculo sese obstringit. Assecuti igitur sumus, quod Sancti Augustini ætate floruerint regulares viri, vinculo paupertatis obstricti.

IX. Lib. de Gratia & Libero Arbitrio ad Monachos Adrumetinos c. 4. n. 7. to. 10. *De ipsa vestra professione aliquid dicam: Neque enim congregaret vos ista societas, in qua continenter vivitis, nisi voluptatem conjugalem contemneretis.*

X. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 31. n. 67. to. 1. *Quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis, atque desertis Mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus, ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt.*

XI. In Psal. 103. Serm. 3. n. 16. to. 4. *Non tantùm hoc audierunt magni, sed audierunt & parvi, & voluerunt hoc facere & parvi, & esse spiritales, non jungi uxoribus, nec macerari cura filiorum, non habere proprias sedes, quibus deligarentur, sed ire in vitam quamdam communem.*

XII. Lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 31. n. 65. to. 1. de Anachoretis: *Jam enim accipite Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores, & continentiam singularem .... Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè, atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere?*

XIII. Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum n. 40. to. 8. *Apostolici .... se isto nomine arrogantissimè vocaverunt, eo quòd in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica & Monachos, & Clericos plurimos.*

XIV. In Psal. 132. n. 5. to. 4. *Noe significat* Rectores *Ecclesiæ, quia ipse Arcam in diluvio gubernavit. Daniel autem*

vi-

vitam quietam elegit, in cælibatu servire Deo, ideſt, uxorem non quærens. Erat Vir Sanctus, in deſideriis cæleſtibus vitam gerens, tentatus in multis, & inventus aurum obrizum. Quàm quietus erat, qui & inter leones ſecurus erat? Ergò in nomine Danielis, qui etiam vir deſideriorum eſt appellatus, ſed utique caſtorum atque ſanctorum, ſignificantur ſervi Dei, de quibus dicitur: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum!

XV. Lib. 4. Operis Imperfecti n. 89. to. 10. *Cælibi Sanctæ vitæ concubitus eſt omnis illicitus, cui nec conjugalis eſt licitus.* Accepimus igitur ex S. Auguſtino, quod Adrumetino ex Cænobio Monachi, ex Monaſtici instituti lege, & ratione vitæ monaſticæ, continentiam profitebantur, & ſoluti a conjugiis Deo, Chriſtianiſque virtutibus excolendis vacabant: quod Monachi cænobitæ, contemptis abjectiſque voluptariis corporis illecebris, atque in communem vitam caſtiſſimam congregati, ætatem agebant ſanctiſſimam: quod ſingularis Monachorum inſtitutio erat, non jungi uxoribus, nec macerari curâ filiorum: quod Anachoretæ Ægyptii in magno erant apud Chriſtianos honore, eo quod ſummæ caſtitatis, ac ſingularis continentiæ eſſent cultores: quod Monachis in Eccleſiâ Catholicâ ſanctum erat, non jungi uxoribus: quod Monachi ſervi Dei, formam atque perſonam Danielis cælibis referentes, ratione ſui ſtatûs, caſtis ſanctiſque affectibus tantum vacabant, ab uxoribus ſemper ſoluti, ſervientes Deo in cælibatu ſancto, quorum cælibi ſanctæ vitæ conjugalis etiam, legitimuſque concubitus erat illicitus. Conjugalis autem, legitimuſque concubitus profectò non fieret Monachis illicitus, niſi vinculo caſtitatis obſtricti eſſent, atque impediti. Ex congeſtis igitur S. Auguſtini ſententiis ea in rem noſtram concluſio conficitur, qua demonſtratur, quod S. Auguſtini ætate floruerint regulares viri, vinculo caſtitatis obſtricti.

XVI. Lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ c. 33. n. 70. to. 1. *Vidi ego diverſorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus, & doctiſſimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus ſinguli gravitate,*

vitate, atque prudentia, & divina scientia propollentes, cæteris secum habitantibus præsunt.

XVII. Ibidem c. 31. n. 67. *Hi verò Patres, non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimùm, hominum millia; nam etiam multò numerosiores sub uno agunt.*

XVIII. In Psal. 75. n. 16. to. 4. *Nemo positus in Monasteriò, frater, dicat, Recedo de Monasterio; neque enim soli, qui sunt in Monasterio, perventuri sunt ad Regnum Cælorum; & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non voverunt, tu vovisti.*

XIX. In Psal. 83. n. 4. to. 4. *Quibus placet, relictà omni spe sæculari, & omni actione terrena, conferre se in societatem Sanctorum, in communem illam vitam, ubi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima una, & cor unum in Deum, quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille, qui non introvit. Ille enim nondum accessit, iste retrò respexit. Quapropter, Carissimi, quomodo quisque potest, vovete, & reddite Domino Deo vestro, quod quisque potuerit. Nemo retrò respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo avertatur ab eo, quod ante est, ad id quod retrò est.*

XX. Serm. 355. c. 4. n. 6. to. 5. de Clericis Regularibus paupertatem, atque communem vitam apud se profitentibus, hæc habet: *Clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum: interius sanctitatem; nam clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est, quam honor. Sed quis sapiens, & intelliget hæc? Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem, professus est quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, & extra.*

tra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit.

XXI. In Regula ad Servos Dei n. 7. pag. 592. to. 1. hæc de Monacho impudico: *Convictus secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam: quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Narrat igitur Augustinus testis non dico auritus, sed oculatus, se Mediolani, & Romæ vidisse non pauca diversoria sacra plurimorum hominum religiosorum, quibus optimi quique Præpositi, singulari gravitate, prudentiâ, ac scientiâ divinâ præditi præerant, qui magna auctoritate, ac potestate ceteris omnibus imperabant. Ii verò, qui sub Præpositorum potestate, & imperio erant, non minori voluntate suis Præpositis obtemperabant. Præpositi autem non solum regendi, verum etiam coërcendi religiosos sibi subjectos munus obibant. Ad eos pertinebat, adhibitis pœnis, coërcere peccantes: subjectorum autem religiosorum erat ratione obedientiæ, qua detinebantur obstricti, inflictas pœnas non solum non recusare, verùm etiam æquo, prompto, ac parato animo constitutatas sibi pœnas perferre, ac subire. Præterea ratione fidei, quam suis Præpositis obligaverant, si animo non redeundi discessissent a Monasterio, ut sui juris, suique arbitrii fierent, tamquam fugitivi, & transfugæ habebantur. Hinc Clericus regularis sacris Ordinibus initiatus, qui non ab Ordine sacro, sed a Religiosa familia defecerit, ex S. Doctore, dimidius corruit; siquidem sciens & prudens voto se obstrinxit a religiosis septis non recedendi, & ab obedientia suorum Præpositorum nunquam se proripiendi. Satis igitur exploratè perceptum ac demonstratum est, quod S. Augustini ætate floruerint regulares viri, obedientiæ vinculo obstricti.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Ista verba psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia*

lodia tàm in cantico, quàm in intellectu, etiam Monasteria peperit. Unde illi centum viginti, qui simul erant in uno loco post resurrectionem Domini, & adscensionem in Cælum, quibus in uno loco constitutis supervenit Spiritus Sanctus die Pentecostes missus de Cælo?.. Omnes inde erant: & ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur: & distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Et quid est in unum? Et erat illis, inquit, cor unum, & anima una in Deum. Ergo ipsi prius audierunt: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum! Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio & unitas fratrum venit. Venit enim & ad posteros ista caritatis exultatio, & votum Deo: Vovetur enim aliquid Deo, & dictum est: Vovete, & reddite Domino Deo vestro. Ex voce hujus Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. (b) *Quis non illos miretur & prædicet, qui, contemptis atque desertis Mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati simul ætatem agunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quòd sint denis Præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut adsolet, valetudini.* (c) *Hi sunt spiritales nidificantes in cedris Libani: sunt servi Dei audientes in Evangelio: Dimitte omnia tua, vel vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me. Et non tantùm hoc audierunt magni, sed audierunt & parvi, & voluerunt hoc facere & parvi, & esse spiritales, non jungi uxoribus, non macerari cura filiorum, non habere proprias sedes, quibus deligarentur, sed ire in vitam quamdam communem. Sed quid di-*

miserunt? Alius se convertit: dimisit cellam patris sui inopem, vix unum lectum, & unam arcam. (d) *Ego, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebit thesaurum in Cælo, & veni, sequere me, vehementer adamavi, & non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerant. Sed totum Mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quanto autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quàm quisquam alius homo, sed magis Deus, quàm ego: & ad hoc propositum, quantis possum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* (e) Hinc *volui habere in ista domo Episcopii mecum Monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent. Nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet.* (f) Sicut *presbyter Januarius, qui videbatur sua honestè erogando quasi consumpsisse, sed non consumpsit. Remansit illi quædam pecunia, idest, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius Deo propitio, in Monasterio fœminarum, & bonæ spei est. Cœpit ille morti appropinquare: qui diù tanquam de suo, jurans quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit Presbyter & socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, heredes instituit. O dolor illius societatis! O fructus natus non de arbore, quam plantavit Dominus!* (g) In posterùm *qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere, parum est ut dicam, non mecum manebit: sed & Clericus non erit. Quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia: naviget contra*

tra me quò voluerit: sit certe ubi potuerit: adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, ille Clericus esse non possit. (h) Qui enim *vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, & societatem sanctorum, magnum votum vovet. Vovete, & reddite Domino Deo nostro. Quisque quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut, quod voverit, reddat.* (i) Sed non sicut *Apostolici*, qui *se isto nomine arrogantissimè vocaverunt*, *eo quòd in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica, & Monachos, & Clericos plurimos.* (k) Sed sicut *Daniel*, qui *vitam quietam elegit in cælibatu servire Deo, idest, uxorem non quærens. In nomine autem Danielis, qui etiam vir desideriorum est appellatus, sed utique castorum, atque sanctorum significantur Servi Dei, de quibus dicitur: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum!* (l) *Non tantùm hoc audierunt magni, sed audierunt & parvi, & voluerunt hoc facere & parvi, & esse spiritales, non jungi uxoribus, nec macerari cura filiorum, nec habere proprias sedes, quibus deligarentur; sed ire in vitam quamdam communem.* (m) Quos *quis non miretur, & prædicet, qui contemptis atque desertis Mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt: modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt.* (n) Quos inter, ut *de ipsa vestra professione aliquid dicam*, o Monachi Adrumetini, *non congregaret vos ista societas, in qua continenter vivitis, nisi voluptatem conjugalem contemneretis.* (o) Nam *cælibi sanctæ vitæ concubitus est omnis illicitus, cui nec conjugalis est licitus.* (p) Hinc *accipite Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singularem. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum Orbem in dies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè, atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.* (q) *Vidi*

ego diversorium Sanctorum Mediolani, non paucarum hominum, quibus unus Presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate, atque prudentia, & divina scientia præpollentes, ceteris secum habitantibus præsunt. (r) *Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimùm, hominum millia; nam etiam multo numerosiores sub uno agunt.* (s) *Quibus* igitur *placet relicta omni spe sæculari, & omni actione terrenâ, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, ubi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima una & cor unum in Deum, quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille, qui non intravit. Ille enim nondum accessit, iste retrò respexit. Quapropter, Carissimi, quomodo quisque potest, vovete, & reddite Domino Deo vestro, quod quisque potuerit: nemo retrò respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo avertatur ab eo quod ante est, ad id quod retrò est.* (t) *Nemo ergo positus in Monasterio, frater, dicat: Recedo de Monasterio; neque enim soli qui sunt in Monasterio perventuri sunt ad Regnum Cælorum, & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non voverunt, tu vovisti.* (u) Hinc *Clericus* constitutus in Monasterio *duas res professus est: & Sanctitatem, & Clericatum: interius sanctitatem; nam Clericatum, propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est, quam honor. Ergo professus est Sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem, professus est quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit.* (x) Quorum siquis de impudicis aspectibus fuerit *convictus*, *secundùm*

Præ-

Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cujus diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindiĉtam, quam ſi ferre recuſaverit, etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) In Pſal. 132. n. 2. & 3. to. 4. (*b*) Lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ c. 31. n. 67. to. 1. (*c*) In Pſal. 103. Serm. 3. n. 16. to. 4. (*d*) Epiſt. 157. ad Hilarium c. 4. n. 39. to. 2. (*e*) Serm. 355. c. 1. & 2. n. 2. in fine to. 5. (*f*) Ibidem n. 3. (*g*) Serm. 356. n. 14. to. 5. (*h*) In Pſal. 75. n. 16. to. 4. (*i*) Lib. 1. de Hæreſibus ad Quodvultdeum n. 40. to. 8. (*k*) In Pſal. 132. n. 5. to. 4. (*l*) In Pſal. 103. Serm. 3. n. 16. to. 4. (*m*) Lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ c. 31. n. 67. to. 1. (*n*) Lib. de Gratia & Libero Arbitrio c. 4. n. 7. to. 10. (*o*) Lib. 4. Operis Imperfecti n. 89. to. 10. (*p*) Lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ c. 31. n. 65. to. 1. (*q*) Ibidem c. 33. n. 70. (*r*) Ibidem c. 31. n. 67. (*ſ*) In Pſal. 83. n. 4. to. 4. (*t*) In Pſal. 75. n. 16. to. 4. (*u*) Serm. 355. c. 4. n. 6. to. 5. (*x*) In Regula ad Servos Dei n. 7. pag. 592. to. 1. in fine.

FINIS.





